

dictae gabellae duorum scutorum pro quolibet dolio vini, ut praefertur, ad octo annos proximos dumtaxat a die XVIII praedicti mensis februaryi anni MDCXXXVIII proximi praeteriti computandos, et non ultra, teneri et obligatos esse auctoritate nostrâ decernas; eâ tamen lege et conditione, ut senatus et syndicus et procurator praedicti quotannis realiter et cum effectu restituant personis ecclesiasticis eam pecuniarum quantitatem quam importabit dicta gabella duorum scutorum pro ratâ quantitatis vini quam pro suis et familiarum suarum usibus ac cultus divini servitio consumerent et consumere solent, quodque omne illud quod ex praedictâ gabellâ duorum scutorum, deducto eo quod restituendum erit ecclesiasticis, ut praefertur, percipietur, omnino cedat et insumatur in extinctionem debitorum ex supradictâ causâ pestis contractorum, et non in alios usus; aliôquin, in eventum contraventionis praemissorum, vel alicuius eorum, praesens gratia nulla sit eo ipso; necnon quoscumque ecclesiasticos praedictos solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis, iuxta praesentium litterarum contentiam et tenorem, et non aliâs, auctoritate praedictâ cogas;

§ 5. Ac senatum et syndicum et procuratorem praedictos, eorumque officiales et ministros, et eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet, eo quod gabellam duorum scutorum, ut praefertur, impositam, etiam ab ecclesiis et ecclesiasticis personis dictae civitatis eiusque districtus, antequam nostra et dictae Apostolicae Sedis licentia desuper accederet, exegerunt, seu exigi fecerunt, respective incursis, impositâ ipsi arbitrio tuo poenitentia salutaris, eadem auctoritate absolvas et totaliter liberes, dictasque

Necnon etiam senatum a censuris absolventi, si quid ante pontificiam concessionem ab ecclesiasticis accepit.

poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

§ 6. Decernentes etiam praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae in praesentis litteris nostris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXIV.

Moniales reformatae sanctae Mariae Aegyptiacae Neapolitanae iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis nuncii apostolici subiiciuntur¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae moniales reformatae monasterii monialium S. Mariae Aegyptiacae Neapolitanae, sanctae Clarae seu alterius Ordinis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsae iurisdictioni dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regno Neapolis pro tempore existentis nuncii, prout antequam reformationem amplecterentur suberant, subesse, sibi propterea in praemissis opportune ut infra providere summopere desiderent:

§ 2. Nos, easdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et inter-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Clausulas apponit.

Derogat obstantibus.

Expositio monialium.

Quas Pontifex subiicit iurisdictioni nuncii pro tempore.

dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum consilio, moniales reformatas S. Mariae Aegyptiacae Neapolitanae praefatas iurisdictioni et correctioni pro tempore existentis in eodem regno nuncii apostolici, prout aliae moniales S. Mariae Aegyptiacae non reformatae subiiciuntur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, subiicimus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasterii et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 22 martii 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXV.

Confirmatio capitulorum camerae apostolicae anno MDLXII editorum et a Pio IV confirmatorum pro felici et

Bull. Rom. - Vol. XIV.

89

celeri mercium per Tyberim in Urbem subvectione¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis ad ubertatem in almâ Urbe nostrâ conservandam et augendam, ac pro facili et celeri mercium per Tyberim in eandem Urbem aditum et subvectione, aliâs de anno MDLXII fuerint in camerâ apostolicâ facta et edita nonnulla capitula, seu decreta et ordinationes, quae et quas etiam mercatores ripales acceptarunt, perpetuo inviolabiliter observanda et observandas, quae etiam per felicis recordationis Pium Papam IV praedecessorem nostrum confirmata fuerunt:

§ 1. Nihilominus, quoniam, ut accepimus, circa illa et illas multi irrepererunt abusus et inobservantiae; idcirco, ut illi et illae e medio tollantur, dictaque capitula seu decreta et ordinationes inconcusse serventur providere volentes, etiamsi ad praesens ecclesiae Ostiensis et Veliternensis pastoris solatio destitutae sint, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eadem capitula, decreta et ordinationes, in calce praesentium nostrarum litterarum inserta et insertas, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eademque capitula, ordinationes seu decreta adversus quemcumque non usum, seu abusum, ac contrariam abrogationem quancumque quavis auctoritate factam, reponimus et restituimus, illaque, quatenus foret opus, innovamus, perpetuisque futuris temporibus a quibuscumque ministris et officialibus dictae camerae, ac

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Prooemium ab ipsâ materia sumptum.

Confirmatio decretorum, ut in rubrica in calce praesentium litterarum relatorum.

ab omnibus et singulis aliis cuiuscumque status, gradus, qualitatis, conditionis et dignitatis etiam ecclesiasticae, etiam speciali nota dignae, et praesertim a venerabili fratre nostro cardinale Ostiensi et Veliternensi episcopo pro tempore existente, eiusque ministris et officialibus, tam in arce Ostiae, quam alibi residentibus, inviolabiliter sub nullitatis poena in contrarium quomodolibet factorum et gestorum, contentis¹ in eisdem capitulis, seu decretis et ordinationibus, aliisque etiam personalibus et pecuniariis nostro et Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis poenis, servari mandamus.

Decretum irritans.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum curiae dictae camerae generalem et palatii apostolici auditores, ac pro tempore existentes cardinalem camerarium, thesaurarium, clericos praesidentes, aliosque officiales et ministros dictae camerae, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et defini debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, easdemque praesentes litteras, ac capitula, seu ordinationes, aut decreta praedicta omnes et singulos praedictos et quoscumque alios, quos illae et illa quomodolibet concernunt et concernent in futurum, afficere² et ad sui observantiam arctare, nullumque earum ignorantiam praetendere posse, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae essent, volumus et decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus

¹ Videretur legendum contentis nemp poenis vel aliter alii-que contentis nemp poenis in. t. i.

² Male ut poto edit. Man. legit offic. B. T. i.

opus sit, Urbis et camerae praedictarum, et quorumvis aliorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam motu simili et consistorialiter Urbi et locis praedictis, ac mercatoribus, dictaeque camerae officialibus et ministris, ac cardinali episcopo, eiusque ministris et officialibus praedictis, et generaliter quibusvis personis quomodolibet nuncupatis et qualitercumque qualificatis, etiam speciali mentione dignis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, ac aliis quomodolibet in contrarium praemissorum etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi martii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 16 martii 1639, pontif. anno xvi.

Tenor autem capitulorum supradictorum est qui sequitur, videlicet:

Die xvi maii MDLXII.

Il signore Martino de Aiala, console della nazione Spagnuola, esibisce avanti

Sequitur tenor capitulorum a camera apo-

stolica factorum de anno MDLXII et a Pio IV confirmatorum.

il signore camerlengo gl'infrascritti capitoli da lui ottenuti in piena camera, sottoscritti da monsignore reverendissimo Lodovico de Torres, presidente e chierico di camera, in favore de' naviganti a Ripa di Roma, per evitar le fraudi: e il signore camerlengo, sedendo *pro tribunali* nella curia di Ripa, ammesse li detti capitoli, con il consiglio del console e dei mercanti, ordinando la loro osservanza; il tenore dei quali capitoli è il seguente, cioè:

Ludovicus de Torres Camerae Apostolicae clericus et Riparum almae Urbis praesidens.

Per ovviare agl'inconvenienti che nascono e potriano nascere per l'avvenire, e alle querele dei naviganti che contrattano in Ripa di Roma per le coste d'Ostia, avendo avuto sopra ciò il consiglio e parere delli consoli e mercanti delle nazioni contrattanti in Ripa, e d'altri uomini marittimi, si decreta, statuisce ed ordina, e si comanda si debbano inviolabilmente osservare l'infrascritte ordinazioni e decreti sotto la pena di cinquecento ducati d'oro in oro d'applicarsi alla reverenda Camera Apostolica.

In primis: come sono entrate le barche nella fiumara, siano attaccate e tirate per ordine, cioè: la barca che prima arriverà effettivamente al luogo detto Boaccino, dove al presente si è messa la guardia d'Ostia, rispetto alla nuova rottura e via che ha fatto il Tevere di qua d'Ostia, quella sia la prima tirata, e così l'altre di mano in mano come arrivano a vicenda, senza rompere l'ordine per astuzie, nè favori, nè interessi.

Secondo, che le barche siano tirate con ogni prestezza, diligenza, servando l'ordine sopraddetto, senza che a nessuno si faccia torto, nè stiano perdendo tempo per mancamento delle bufale, del che ne risultaria grandissimo danno alli mer-

canti, marinari, alla corte, al popolo e dogana di Roma, perchè quanto più presto sono spediti, tornano con nuova abbondanza a beneficio comune.

Terzo, che se fra tre giorni dall'arrivo della barca al detto luogo del Boaccino non sarà attaccata e messa in viaggio per Roma, per mancamento dei bufali, o negligenza, o difetto dell'appaltatore d'essi, finiti li tre giorni sia in libertà del padrone o padroni delle barche pigliar altri bufali, o piloricatori, o cavalli che tirano le barche, senza che l'appaltatore d'Ostia gli possa impedire, nè domandarli per tal tirata cosa alcuna.

Quarto, che li doganieri di Ripa, ovvero per loro il castellano d'Ostia, debbano tenere in detto luogo del Boaccino, riscontro alla nuova rottura del fiume, l'uomo deputato che faccia le bollette del manifesto alle barche che vengono a Roma con le mercanzie, e riceva quelle che partono da Roma, e questo per la comodità della contrattazione, senza che li marinari siano tenuti andare a Ostia; e per conto della rottura e nuova strada del fiume non si paghi a Ostia, nè a Porto, nè ad altri cosa alcuna, salvo il suo solito e antico ancoraggio.

Quinto, che le barche, le quali non vorranno bufali e possono esser tirate da uomini, non siano tenute a pigliar bufali, nè ad aspettare tempo nè urcenda, ma possano a suo beneplacito pigliar piloricatori e venirsene alla volta di Roma senza esser perciò in corso alcuno impedito, nè pagar niente all'appaltatore d'Ostia.

Sesto, che le barche che sono cariche di vino, acciò non si tocchino le botti, paghino la foglietta in danari, cioè, baiocchi venticinque, come li mercanti si sono contentati per loro cortesia e non per obbligo, e non siano tenuti dare al castellano nè ad altra per-

sona, né foglietta, né boccale, né fiasco di vino, e se la barca sarà carica mezza di vino e mezza d'altre mercanzie, non paghino più che mezza foglietta, cioè, baiocchi dodici e mezzo, e così se sarà manco di mezza paghi al rispetto, e le barche che non portano vino, non paghino né foglietta, né parte d'essa.

Settimo, che se per accidente di fiume grosso o di venti, o intagliamento, o altro qualsivoglia impedimento, li bufali che tirano la barca la lasceranno per via fra Ostia e Ripa, innanzi di arrivare a essa Ripa, si debba pagare della tirata la rata per meglio, ovvero, se il padrone dei bufali vorrà l'intero pagamento come se l'avesse tirata fino a Ripa, debba difalcare e rifare al padrone della barca quel tanto che avrà speso in piloricatori o bufali per tirarla dal luogo dove li bufali d'Ostia l'avranno lasciata fino a Ripa di Roma.

Ottavo, che li bufali d'Ostia debbano tirare le barche fino a Ripa nel modo che tirano li burchi che portano sale e legna, massime ora che la nuova rottura del fiume ha abbreviata la tratta di qua da Ostia di quello era prima, pagando per la tiratura per ogni botte di barili nove un giulio, e non si debba dare alli bufalari, né piloti, né ad altro, fiasco alcuno di vino.

Nono, che gli abitatori d'Ostia e Porto, che per uso suo piglieranno vino o altre cose dalle barche che vengono a Roma, debbano tenere il pagamento pronto, ovvero partendosi depoiarlo, acciò il padrone, al tornar che farà da Roma, sia subito soddisfatto, e non perda tempo per tal pagamento, sotto pena di pagar tutte le spese della barca, delli marinari ed interessi che per tale aspettare patissero.

Decimo, che nessuno ufficiale o persona

1 Vocem che nos addimus (R. T.).

di qualsivoglia grado e condizione, tanto in Ripa e dogana di essa, quanto Ostia e Porto, non levino altri diritti né salario, né si facciano pagare più di quel tanto che per il *motuproprio* e patenti della Camera a loro concessi apparirà, non ammettendo le male introduzioni ed abusi fatti in pregiudizio delli contrattanti.

Data in Camera Apostolica li 15 di maggio 1562.

DCXXXVI.

*Confirmatio litterarum Gregorii XIV ad favorem immunitatis ecclesiasticae emanatarum contra diversos abusos, qui in dioecesim Seguntinam irrepserant*¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XIV praedecessore nostro ad preces tunc existentis episcopi Seguntini emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Tolentino, et dilectis filiis thesaurario ecclesiae Seguntinae, ac officiali Seguntino, salutem et apostolicam benedictionem. Hodie² emanarunt litterae tenoris subsequentis:

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quae ex Ecclesia Dei indecentia quaeque et inconvenientia tolluntur, et quae propterea a congregatione S. R. E. cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum provide decreta sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Addendum videtur a nobis (R. T.).

a nobis petitur, approbamus, illisque perpetuae firmitatis robur adicimus. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Laurentii episcopi Seguntini nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs, supradictae congregationi pro parte dicti Laurentii episcopi exposito, quod, cum in nonnullis oppidis Seguntinae dioecesis, sub dominio temporali nobilium vel illustrium laicorum existentibus, quaedam collegiatae et parochiales ecclesiae reperiuntur¹, praedicti laici, tam occasione temporalis domini huiusmodi, quam iurispatronatus quod in dictis ecclesiis habere praetendunt, quotiescumque episcopi ad ecclesias praedictas pro divinis officiis audiendis accedebant, canonicos et clericos dictarum ecclesiarum, qui illis diebus pluralibus et sceptis induerentur, ad loca, ubi episcopi et eorum uxores et filii sedent, cum apparatu et caeremoniis accedere, ac, facta prius profunda inclinatione, confessionem generalem, et, quando incipiunt *Gloriu, Credo, Magnificat* et alias diversas orationes, tempore quo in eisdem ecclesiis divina officia dicuntur et cantantur, coram se recitare², et illis recitatis, factaque iterum inclinatione, ad chorum reversi³, ac dicto evangelio, diaconum vestibibus sacris indutum eis librum deosculandum offerre, ac per eundem diaconum suis loco et tempore incensum et pacem sibi dari volebant; praetereaque sedes intra cancellos et clericorum choros dictarum ecclesiarum in praecminentiori loco existentes ab episcopo deputatas tamquam sibi proprias etiam inter canonicos occupabant; unde, cum haec minus convenientia viderentur, dictus Laurentius episcopus scire desiderabat, an tales cae-

1 Aptius lege reperiantur (R. T.).

2 Sic puto legendum pro recitate quod habetur in edit. Main. (R. T.).

3 Forsan legendum reversis nempe canonicis et clericis (R. T.).

remoniae dictis laicis, etiam ecclesiarum huiusmodi patronis, deberentur, vel satis esset pacem et incensum illis per aliquem cappellanum vestibibus sacris non indutum dari facere, et an eisdem laicis episcopales vel alias sedes intra cancellos et choros huiusmodi occupare liceret: fuerat per congregationem huiusmodi, tales actus et caeremonias non solum nullo modo coram dictis laicis, sed nec coram quocumque principe seculari, vel etiam ecclesiasticis praelatis episcopo maioribus fieri, cum soli episcopo haec in sua dioecesi existenti conveniant; incensum vero et pacem eisdem laicis per ministros, qui in illa canonicis dare consueverunt, tribui seu offerri oportere, sedente tamen episcopo, illis nullo modo convenire; quin potius eorum sedes non intra, sed extra chorum ecclesiasticorum, in digniori tamen loco collocandas esse, decretum et resolutum. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ut imposterum de decreto huiusmodi appareat, illudque maioris sit roboris et efficaciae, et per dictorum oppidorum pro tempore existentes dominos temporales melius observetur, et ubique fidem faciant¹, neque aliquid contra praemissa ullo umquam tempore attentari contingat, idem Laurentius episcopus cupiat decretum praedictum nostro et Sedis Apostolicae munimine et patrocinio roborari; pro parte dicti Laurentii episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus desiderio suo in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, eundem Laurentium episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequen-

1 Potius lege faciat (R. T.).

dum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum, aliaque praemissa, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus; eadem praemissa per praedictos nobiles et illustres laicos et quoscumque alios quantacumque temporali dignitate fungentes¹, etiam dictarum ecclesiarum patronos, in perpetuum observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari². Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, illarumque capitulis, et aliis superioribus personis, ac etiam episcopis et laicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda foret, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice harum serie specialiter et expresse dero-

¹ Aptius lege *fulgentes* (R. T.).

² Deest verbum *decernimus* (R. T.).

gamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, constitutionis, adiectionis, suppletionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, nonis augusti, pontificatus nostri anno I.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit, ac quoties pro parte dicti Laurentii et pro tempore existentis episcopi Seguntini fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, praesertim litteras et in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari¹; non permittentes dictum Laurentium et pro tempore existentem episcopum Seguntinum per quoscumque desuper impediri, seu molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, illa praesertim, qua inter alia cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem et dioecesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices ab eadem Sede deputandi extra ci-

¹ Deest verbum *faciatis*, aut simile (R. T.).

vitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon omnibus supra dictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, nonis augusti, pontificatus nostri anno I.

Quas rector et beneficiati parochialis ecclesiae loci de Ariza Seguntinae petunt confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii rector et beneficiati parochialis ecclesiae loci de Ariza Seguntinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, iidem abusus contra immunitatem ecclesiasticam ad praesens etiam vigeant, cupiantque propterea eiusdem Gregorii praedecessoris litteras, pro illarum firmitate subsistentia, auctoritate apostolica per nos confirmari:

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim dicti Gregorii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adii-

cimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes illas necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 14 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXVII.

Quod tam Indi quam Mestizi, necnon Aethiopes et Mauri seu Mulatti nuncupati possint satisfacere praecepto confessionis et communionis annuae a dominica septuagesimae usque ad octavam Corporis Christi in regno Peruano et Paraguay¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii communitas, universitates et homines regnorum Peruani, de Chile, et Paraguay in Indiis occidentalibus nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, ob eorum multitudinem et confessariorum penuriam inibi vigentem, peccata sua infra breve tempus confiteri minime possint, unde fit, ut quamplures

Communitates regnorum Peruani, de Chile, et Paraguay exponunt causas pro huiusmodi concessione.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

illa nullatenus, aut minus accurate et fructuose confiteantur, cupiantque propterea dicti exponentes sibi per nos, ut infra, opportune provideri:

Concessio, ut in rubrica.

§ 2. Nos, qui omnium christifidelium salutem pro pastorali nostrâ sollicitudine iugiter invigilamus, exponentes praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex sententiâ nonnullorum Romanae curiae praelatorum hac super re specialiter a nobis deputatorum, quod in regnis praedictis tam Indi quam Mestizi vulgo nuncupati, videlicet qui ab Indis et Europaeis, necnon Aethiopes seu Mauri et Mulatti etiam vulgo nuncupati, videlicet qui ab Europaeis et Mauris nati sunt, praecepto Ecclesiae de confitendo peccata sua et sumendo sanctissimum Eucharistiae sacramentum quotannis possint a dominicâ septuagesimae usque et per totam octavam festi sanctissimi Corporis Christi satisfacere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac Lateranensis sub Innocentio Papa III praedecessore nostro celebrati, aliorumque conciliorum universalium et provincialium, synodaliumque generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 16 aprilis 1639, pontif. anno XVI.

DCXXXVIII.

Commissio collectori Portugalliae, ut quibusvis personis inhibeat, ne quis Indos occidentales et meridionales vendat, in servitutum redigat, vel uxoribus, filiis et bonis suis privet.

Dilecto filio, iurium et spoliatorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Commissum nobis a Domino supremi apostolatus officii ministerium postulat, ut, nullius hominis salutem a curâ nostrâ alienam dacentes, non solum in christifideles, sed etiam in eos, qui adhuc in ethnicae superstitionis tenebris extra gremium Ecclesiae versantur, paternae nostrae charitatis affectum diffundamus, et quae eis quominus ad christianae veritatis et fidei agnitionem perducantur quoquo modo obstaculo esse possunt, quantum cum Domino possumus, amovere studeamus.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster, statui Indorum occidentalium et meridionalium, quos in servitutum redigi, suisque bonis privari, eaque de causâ ab amplectendâ Christi fide averti acceperat, consulere cupiens, universis et singulis cuiuscumque status, conditionis, gradus et dignitatis existentibus, sub excommunicationis latae sententiae poenâ eo ipso incurrendâ, a qua nonnisi ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo et satisfactione praeviâ absolvi possent, prohibuit, seu prohiberi mandavit, ne praedictos Indos quomodolibet in servitutum redigere, aut eos bonis

Exordium.

Paulus III inhiabit Indos in servitutum redigi, aut bonis spoliari.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

suis spoliari quoquomodo praesumerent, et alias, prout in eisdem Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis die XXIX maii MDXXXVII desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus mandat prout in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, causae, propter quas litterae Pauli praedecessoris praedicti emanarunt, etiam de praesenti vigeant; idcirco nos, ipsius Pauli praedecessoris vestigiis inhaerendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos praedictos, quos omnibus christianae charitatis et mansuetudinis officii ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illâ deterrent, reprimere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut per te, vel alium, seu alios, omnibus Indis, tam in Paraquariae et Brasiliae provinciis ac ad flumen de la Plata nuncupatum¹, quam in quibusvis aliis regionibus et locis in Indiis occidentalibus et meridionalibus existentibus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes², universis et singulis personis, tam secularibus, etiam ecclesiasticis, cuiuscumque status, sexus, gradus, conditionis et dignitatis etiam speciali notâ et mentione dignae existentibus, quam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, religionis et instituti, Mendicantium et non Mendicantium, monachalis, regularibus, sub excommunicationis latae sententiae per contravenientes eo ipso incurrendâ poenâ, a qua nonnisi a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo constituti et satisfactione praeviâ absolvi possint, districtius inhibeas, ne de cetero praedictos Indos in servitutum redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis

spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, necnon praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare, seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant; contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, in poenam excommunicationis huiusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim tibi desuper plenam, amplam et liberam facultatem tribuimus et potestatem.

§ 5. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, ac concilii generalis de duabus dietis, ac in conciliis universalibus, provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque, etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum et non piorum, et generaliter quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene

Derogatio contrariis.

¹ Male ut puto ed. Main. legit *nuncupati*; vel legendum *nuncupatis* nempe *provinciis* (R. T.).

² Puto legendum esse *assistens* (R. T.).

et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 22 aprilis 1639, pontif. anno xvi.

DCXXXIX.

Privilegia molitoribus Urbis concessa.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilectis filiis universitati et hominibus artis molitorum almae Urbis, nedum molarum, ac domorum eisdem molis contiguarum, ob necessitates repentinas necessariorum, ac scalarum et turricularum earumdem pensiones seu locationes quandoque augeri contingat, verum etiam permulti molarum artem revera non exercentes, molas, domos, scalas et turriculas huiusmodi molitoribus locandas seu sublocandas conducant, vel in socios sibi molitores, qui suo nomine artem huiusmodi exercent, assumant, hisce artibus lucrum ex alieno labore captando et aliis pauperibus molitoribus occasionem sibi quaerendi victum subtrahendo:

§ 1. Nos, attendentes molitorum operam reipublicae maxime necessariam et utilem esse, ac proinde illorum commodis et quieti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine: quod de cetero perpetuis futuris temporibus molarum, tam in terra quam in flumine existentium, turricularum, scalarum et domorum ipsis molis

contiguarum, et pro illarum custodia commodarum, in quibus molitores habitant, seu habitabunt, pensiones seu locationes augeri nequeant, quodque locationes molarum, scalarum, domorum et turricularum huiusmodi factae illis qui realiter et cum effectu molitores non sunt et personaliter artem praedictam non exercent, licet patentes desuper ipsorum universitatis et hominum litteras obtinuerint, etiamsi de locationibus huiusmodi specialis mentio facienda foret, ipsaeque etiam apostolica auctoritate confirmatae sint, nullae et invalidae sint, et esse ac expirasse censeantur, inque illis in omnibus et per omnia molitores, praedictas molas, scalas, domos et turriculas huiusmodi inhabitantes, restituto tamen dictis locatariis suorum bonorum mobilium valore, succedere debeant;

§ 2. Ac propterea, quod nullus cuiusvis molae aut illius partis dominus, qui vere et actu non sit molitor, possit illam per tertiam personam exerceri facere, nec ab illa molitores actu exercentes ad effectum illam inhabitandi amovere, etiamsi praedictae molae, domus, scalae et turriculae ad quasvis basilicas, collegiatis, et alias ecclesias, loca pia, et alias quasvis privilegiatas personas, etiam speciali nota et mentione dignas, et hic forsitan de necessitate exprimendas spectarent et pertinerent, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ipsosque molitores in emptione molarum, domorum, scalarum et turricularum huiusmodi ceteris omnibus et quibuscumque praeferrere volumus.

§ 3. Et propterea omnes et singulas lites et causas hactenus forsitan contra ipsos universitatem et homines occasione augmenti pensionum seu locationum molarum, scalarum, domorum et turricularum huiusmodi, vel aliorum quorumcumque praedictorum, coram quibusvis iudicibus, seu tribunalibus, etiam quan-

Etque venditae.

Causae omnes contra illas molas advocantur.

tumvis privilegiatis et supremis, etiam speciali et individua expressione dignis, motas, pendentes et indecisas, in eisdem statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, statum earum huiusmodi vevriorem et certum, ac merita et causas, nominaque et cognomina iudicum, notariorum, ac colligantium et dominorum molarum, scalarum, domorum et turricularum huiusmodi, aliorumque causam ab eis habentium, etiamsi basilicae, ecclesiae, monasteria, confraternitates, hospitalia et alia loca pia, ac etiam viduae, pupilli et minores, alique quantumvis privilegiati existant, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ad nos harum serie avocamus;

Annonaeque praefecti iudicio committuntur.

§ 4. Illasque sic avocatas, ac quascumque alias ratione praemissorum de cetero movendas, dilecto filio moderno et pro tempore existenti annonae praefecto, private quoad omnes alios et singulos Romanae curiae iudices, magistratus et tribunalia, committimus, illique plenam, liberam et absolutam facultatem et auctoritatem, per se, vel alium, seu alios ab eo deputandos, private quoad alios quoscumque iudices, magistratus et tribunalia, etiam supremos et suprema, ac speciali mentione et expressione dignos et digna, cognoscendi, decidendi et debito fine terminandi omnes et singulas causas huiusmodi motas et movendas, ut praefertur, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis (ac etiam cum clausula, quam et quas, etiamsi contra ipsos universitatem et homines ageretur et procederetur vigore obligationum cameralium iuramento vallatarum et cum expressa renunciatione praesentis indulti,

1 Verba quam et quas praeter rem interiecta sunt, vel aliqua desunt; ex g. ac etiam cum clausula et clausulis, quam et quas addimus, etiamsi etc. (R. T.).

necnon domus, scalae, molae et turriculae huiusmodi ab eis possessae, seu conductae, directe vel indirecte, ad quasvis personas, quantumvis privilegiatas, ac etiam basilicas et quasvis ecclesias, etiam parochiales, cappellas, religiones, praepetorias, seu commendas, monasteria, conventus, hospitalia, confraternitates, et alia pia loca, etiam insignia, et pari privilegio suffulta, ac etiam ad quoscumque pupillos, minores et viduas, et quoscumque alios quantumvis amplissimis privilegiis suffultos, etiam speciali mentione dignos, spectarent), necnon etiam in eisdem causis et litibus, ac illarum qualibet, singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatas, summarie, exequutive, simpliciter et manu regia, sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, et alias prout eidem annonae praefecto et ab eo deputandis praedictis ac secundum rei et casus exigentiam visum fuerit expedire, omni et quacumque appellatione, provocatione et recursu postpositis, procedendi, cum facultate pariter avocandi et reassumendi praedictas lites et causas motas et movendas, ac quibusvis iudicibus tribunalibus et magistratibus ecclesiasticis et secularibus, etiam curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, et quibusvis aliis iudicibus etiam supremis ac privilegiatis et necessario exprimendis, necnon omnibus et singulis supradictis, et aliis, quibus opus fuerit, sub poenis pecuniariis et censuris, eidem annonae praefecto, et ab eo deputandis, placitis et benevisis, inhibendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi concedimus.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis

Decretum irritans.

Motiva huius Constitutionis.

Molae contiguae domus, molitoribus tantum locandae.

nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, sed semper et omni tempore contra et adversus quascumque impugnationes validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et camerae apostolicae auditores, ac ipsam cameram, eiusque camerarium, vicecamerarium, thesaurarium, decanum et presidentes clericos, necnon etiam vicarium nostrum in alia Urbe in spiritualibus generalem, eiusque locumtenentes et auditores, senatum, collaterales, viarum magistros Urbis praedictae, eorumque assessores, et quosvis alios Romanae curiae iudices, sublata eis et eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confraria tolluntur.

§ 6. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, ac quod in illis interesse quomodolibet habentes, aut habere praetendentes, ad illa vocati et auditi non fuerint, vel illis contradicant expresse, et se opponant, necnon quibusvis litis pendentiis et instrumentis factis et de cetero faciendis, etiam cum obligatione in forma camerae praedictae, et iuramento, et cum praesentis indulti et quavis alia renunciatione et cautela, et quibusvis aliis privilegiis et facultatibus concessis quibusvis tribunalibus et magistratibus dictae Urbis, ipsique camerae, eiusque camerario et clericis, etiam dictae camerae auditori generali, dictoque vicario nostro, populo romano, magistris viarum, eorumque assessores, necnon basilicis, ecclesiis, monasteriis et locis piis supradictis,

ac alias quomodolibet, in genere vel in specie, etiam ex titulo oneroso, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac felicitis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri super iure congrui edita, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam cancellariae apostolicae regulis, et praesertim illa de iure quaesito non tollendo, ac praedictae Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, confirmationibus, stylis et usibus, etiam palatii nostri apostolici, ac decretis etiam consistorialibus et conventionibus; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio de illis habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, necnon forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx aprilis MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 30 aprilis 1639, pontif. anno xvi.

Die ix maii MDCXXXIX supradictum Breve fuit in plenam cameram apostolicam exhibitum, et ex illius decreto commissum illustrissimo et reverendissimo domino Dongo, praevia citatione contra reverendissimum dominum commissarium generalem eiusdem camerae exequutorem, facta relatione in eadem plenam cameram et ex alio decreto illius fuit

admissum, et lib. XII Div. SS. D. N. sub fol. 159 registratum.

IOANNES CERMONTINUS.

DCXL.

Confirmatio patentium litterarum prioris generalis Carmelitarum super concessione foundationis unius eremi in Gallia, cum conditionibus in ea insertis¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Henricus de Gournay primitivam Carmelitarum regulam cupiens promovere.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratus, prior generalis fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo antiquae observantiae regularis, quod venerabilis frater Henricus episcopus Vasatensis, ac dilectus filius Henricus de Gournay, comes loci de Marcheville, pro singulari, quem erga beatissimam Virginem Mariam dictumque Ordinem gerunt, devotionis affectu, summopere cupiunt, ut vetus illa reviviscat disciplina eiusdem Ordinis, secundum quam olim antiqui dicti Ordinis fratres, sub primitiva regula a quondam Alberto patriarcha Hierosolymitano tradita, in Monte Carmelo et in aliis Palaestinae locis solitariam eremiticam vitam in cellulis separatis ducebant. Quare dictus Henricus comes e Gallia ad aliam Urbem nostram non aliam ob causam magno suo impendio et labore venit, quam ut suo et dicti Henrici episcopi nomine supplicaret ipsi Theodoro priori generali, prout supplicavit, pro facultate fundandi in aliquo secessu et solitario loco unam domum regularem, in qua non ad tempus sed per totam vitam aliqui dicti Ordinis fratres, sub primitiva regula praefati Alberti patriarchae, omnipotenti

Eremum pro duodecim fratribus fundare curat.

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Deo, Deiparaeque Virgini servient, suis sumptibus aedificandam: cui tam pio desiderio praefatus Theodorus prior generalis annuens, per suas patentes litteras, in eadem alma Urbe xv aprilis anni proxime praeteriti datas, dilectum filium Andream Blanchard, dicti Ordinis et provinciae Narbonensis professorem, sacerdotem et doctorem Parisiensem, in commissarium generalem, ad id instituit, cum auctoritate fundandi, servatis servandis, unam eremum in loco sibi a praefatis Henrico episcopo et Henrico comite assignando, in qua in principio vivere possint sub praedicta regula duodecim ad minus eremitae, computatis clericis et laicis, cum infrascriptis pactis et conditionibus, videlicet: Quod nimirum religiosi ibi commorantes immediate subsint generali, reganturque et gubernentur per unum commissarium a priore generali Ordinis pro tempore instituendum, qui super illis eandem habeat auctoritatem et iurisdictionem, quam priores provinciales in suarum provinciarum fratres habent, reservata tamen ipsi priori generali libera facultate et auctoritate, quoties ipse expedire iudicaverit, aliquem alium dicti Ordinis professorem sibi benevisum, qui eremum et fratres huiusmodi tum in capite tum in membris visitare et corrigere possit, instituendi: Quod eremitae praedicti vocem activam vel passivam in capitulis provincialibus non habeant, nec ad dicta capitula proficisci, vel ad id compelli, nec ab ipsa eremo sine licentia prioris generalis recedere possint; quodque ibi perpetuo servent primitivam regulam ab eodem Alberto patriarcha traditam in suo rigore, nullaque admissa moderatione et mitigatione felicitis recordationis Innocentii IV, Eugenii IV, Pii II, Sixti IV, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, excepto quod bona immobilia, iuxta sacri Concilii Tridentini sess. xxv,

Prior generalis Ordinis foundationis acceptationem committit provinciali Narbonensi.

Cum conditionibus, quae exprimentur.

cap. III de regularibus dispositionem, possidere possint, teneanturque horas canonicas diurnas et nocturnas, in choro simul statim horis recitare. Et quia praecipuus eorumdem eremitarum finis erit iugi orationis ac vigiliarum studio, assiduam corporis mortificatione, aliisque operibus piis, omnibus christifidelibus ac toti Ecclesiae catholicae prodesse, idem Theodorus prior generalis mandavit, ut omnia sua sacrificia Deo offerant, pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae, ac Summi Pontificis pro tempore existentis, pro incolumitate et conservatione christianissimi Francorum regis, necnon pro Montis Carmeli patris dicti Ordinis recuperatione; praesertim vero pro praefatis Henrico episcopo et Henrico comite, eorumque successoribus; quod quo liberius praestare valeant, praecipit eisdem, ut elemosynas a piis christifidelibus erogatas, quo pro illis Deo preces effundant, recipere possint, non tamen cum onere et obligatione pro eisdem tot missas celebrandi divinaeque sacrificia offerendi.

Idque a Pontifice patet consuetudine.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Theodorus, prior generalis, dictas suas patentes litteras pro illarum firmitate subsistentiam apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communitur summopere desideret:

Quo-1 praestat Urbanus.

§ 3. Nos, eundem specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praeposito-

rum consilio, concessionem foundationis praefatae eremi per praefatas eiusdem Theodori prioris generalis patentes litteras cum omnibus et singulis conditionibus inibi ut praefertur insertis (servata tamen in illius foundatione decreti felicitis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri circa novorum conventuum erectionem editi¹, et a nobis sub die XXVIII augusti MDCXXIV innovati², forma) apostolicam auctoritatem, tenore praesentium, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praemissa omnia necnon praesentes litteras valida, firma, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub an-

¹ Quod vide in tom. XII, pag. 719 (R. T.).

² Prout habes in tom. XIII, pag. 200 (R. T.).

nulo Piscatoris, die IV maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 4 maii 1639; pontif. anno XVI.

DCXLI.

Erectio custodiarum fratrum strictioris Observantiae S. Francisci cismontanae familiae in provincias Reformatas.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniuncti nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii ratio postulat, ut circa statum regularium personarum quarumlibet, praesertim illarum quae sub arctioris observantiae normam gratum Altissimo exhibent famulatum, iugiter invigilantes, ad ea, per quae pium eorum institutum ad maiorem Dei gloriam et eius Ecclesiae decorem propagetur, pax et concordia inter eos conservetur, ipsique facilius in dies in via Domini proficiant incrementis, propensius intendamus, ac in his eiusdem officii nostri partes interponamus, prout conspicimus in Domino feliciter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, custodiarum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum adeo excreverint, ut in provincias erigi possint, distinctasque fratrum Reformatorum huiusmodi ab illis fratrum de Observantia eiusdem Ordinis provincias institui pacis inter illos stabiliendae plurimum intersit:

Motivum.

Erectio provinciarum prout in rubrica.

§ 1. Idcirco, motu proprio, ac ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, maioris et minoris Poloniae, ac omnes alias cismontanas fratrum huiusmodi custodias, quae duodecim saltem conventus habent, in provincias fratrum reformatorum Ordinis huiusmodi tenore praesentium erigimus.

Protector prima vice eligat ministros.

§ 2. Ac dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso diacono cardinali

Barberino nuncupato S. R. E. vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, ministros provinciales provinciarum huiusmodi et definitores pro prima vice constituendi et deputandi, capitulis vero provincialibus ceteros officiales, facultatem concedimus;

§ 3. Necnon, quod provinciae sic ut praefertur per nos erectae retineant proprium nomen, addito solummodo quod sunt reformatae;

§ 4. Ac habeant locum et praecedentiam, iuxta consuetudinem dicti Ordinis, post provincias iam erectas, ita ut eo loco permaneant, quo, dum custodiarum nominabantur, erant;

§ 5. Ac insuper, quod provinciae reformatae huiusmodi habeant procuratorem generalem nominandum et eligendum a dicto Francisco cardinale et pro tempore existente Ordinis praedicti protectore;

Protector eligat procuratorem generalem.

§ 6. Qui procurator generalis in capitulis et congregationibus ac definitoriis generalibus sedeat immediate post procuratorem et commissarium generalem dicti Ordinis, et in eis votum seu suffragium habeat quemadmodum habent procurator generalis Ordinis et commissarius curiae; finito autem suo officio remaneat pater Ordinis perpetuus, cum omnibus privilegiis, exemptionibus et praecedentiis, quae conceduntur procuratori fratrum de Observantia et commissario curiae eiusdem Ordinis;

Privilegia quibus gaudet procurator generalis Reformatus.

§ 7. Ad haec, quod, quando minister generalis erit ex ultramontana familia, commissarius generalis eligatur ex cismontana familia; et idem servetur in electione vicarii generalis, quando minister generalis ex cismontana familia discessurus est ultra montes; reservata nobis hac vice commissarii generalis huiusmodi ele-

Commissarius generalis ex qua familia eligendus.

¹ Edit. Main. legit quod (R. T.).

ctione et deputatione suo tempore per nos declaranda;

Alia decretal § 8. Deinde, quod definitores generales ex diversis provinciis, iuxta formam statutorum generalium dicti Ordinis, eligantur, quorum tamen quatuor ex familia et duo reformati esse debeant;

§ 9. Dictique reformati et eorum conventus nisi per patres alicuius ex provinciis reformatis huiusmodi visitari minime possint;

§ 10. Gubernarique debeant cum solis statutis reformationum, quae nec a capitulo, nec a ministro generali possint alterari seu immutari, sed eorum moderatio fieri debeat a reformatis tantum in capitulo vel congregatione generali;

§ 11. Nec minister generalis constitutiones vel ordinationes perpetuas¹ vel ad tempus, quae reformatos obligent, vel contra illos, condere possit;

§ 12. Ipsique reformati ad peculiaria illius mandata, quae definitorum provinciae iudicio et dictorum reformationum reformationi et observantiae non fuerint congruentia, minime teneantur;

§ 13. Insuper, quod ad visitationes et negotia reformationum nullo modo possint deputari fratres de familia, sed solummodo ipsimet reformati;

§ 14. Ac demum, quod transitus ab observantia ad reformationem concedatur, prout hactenus observantes habuere; ita ut dictae provinciae reformatae inserviant pro reformatione observantiae huiusmodi;

§ 15. Sublata eisdem observantibus in perpetuum novam reformationem erigendi seu instituendi facultate;

§ 16. Quodque reformati praedicti possint etiam transire ad observantes ex causis in constitutione felicitatis recordationis Pauli Papae V hac super re emanata expressis; et sic transeuntes nequeant ab observantibus reici, earumdem tenore

¹ Male edit. Main. legit *perpetuae* (n. r.).

praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

§ 17. Mandantes praeterea, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque nostro¹ et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio poenis, omnibus et singulis Ordinis praedicti superioribus et fratribus quomodocumque et qualitercumque qualificatis, ut praesentes nostras litteras, ac in eis contenta quaecumque, inviolabiliter observent et ab eis ad quos spectat adamussim servari curent et faciant.

§ 18. Et nihilominus ex nunc irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 19. Quocirca eidem Francisco cardinali per praesentes iniungimus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum praedictorum fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat illa auctoritate nostrâ ab omnibus, ad quos spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 20. Non obstantibus felicitatis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis et illius pro-

¹ Male edit. Main. legit *nostris* (n. r.).

*Praesentium
statutorum ob-
servantia.*

*Executorum
deputatio.*

*Derogatio
contrariorum.*

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

vinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgiis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque provinciis, superioribus et fratribus, et quibuscumque aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xii maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 12 maii 1639, pontif. anno xvi.

DCXLII.

Declaratio, quod per alienationem quoruncumque locorum in Statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus ducatus, principatus, marchionatus vel comitatus, locis huiusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, nisi in licentiâ alienandi id expresse concessum fuerit¹.

¹ Ne iam indicata otiose repetam, vide quae nuper notavi ad Constit. DLXXXV (al. 551) huius

Cum rationi minus consentaneum sit, ut, translato in alios dominio civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico existentium, ac honoris et dignitatis titulis, plerumque non tam sui, quam illa possidentium vel maiorum ipsorum intuitu et contemplatione ob praecleara eorum erga Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam christianamque rempublicam merita decoratorum, ipsi quoque tituli huiusmodi quasi accessorie translati censeantur:

§ 1. Hinc est quod nos, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione declaramus et decernimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus per quamcumque civitatum, oppidorum, castrorum, terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico mediato vel immediato existentium venditionem et quamvis alienationem, etiam alienationis latissime sumpto vocabulo, non censeatur in emptorem et quemlibet alium quocumque titulo lucrativo vel oneroso et aliâs quomodolibet acquirentem translatus titulus ducatus, principatus, marchionatus vel comitatus, nec titulum huiusmodi transferendi data facultas, etiamsi titulus huiusmodi civitati, oppido, castro, terrae vel loco, venditae seu vendito, et alienatae seu alienato, annexus, seu in eâ vel eo erectus esset, nisi in licentiâ apostolicâ vendendi et alienandi, iuxta constitutiones felicitatis recordationis Sixti V, Clementis VIII et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac nostras omnino prius obtinendâ, specificè

Pontificis, quae incipit *Olim felicitis*, ut supra pag. 616.

et verbis expressis translatio tituli huiusmodi concessa fuerit;

Clausula
praeservativa.

§ 2. Praesentes quoque litteras, quovis praetextu vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, plenamque roboris firmitatem obtinere;

Clausula sub-
lati.

§ 3. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generalem auditores, et dictae camerae clericos praesidentes, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac eiusdem S. R. E. camera-rios, civitatumque, oppidorum, castrorum, terrarum et locorum huiusmodi gubernatores et magistratus quomodolibet nuncupatos nunc et pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio
contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrae de iure quaesito non tollendo, ac aliis cancellariae apostolicae regulis, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac quorumvis locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis locis et personis quomodocumque nuncupatis, ac qualitercumque qualificatis, etiam speciali nota et mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum

quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda esset aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praedictum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 17 maii 1639, pontif. anno xvi.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXXIX, die vero xiii mensis augusti, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae S. Petri de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et aliis locis solitis et consuetis Urbis, per nos Fulvium Marzittellium et Carolum Pelosium Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.

Pro D. magistr. curs.
ANTONIUS BARDUS, deput.

DCXLIII.

Praefinitio numeri magistrorum provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In his apostolici nostri muneris partes libenter interponimus, per quae felici regularium personarum statui opportune consuli iudicamus.

Motiva.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Michaëlis Mazarini, sacrae theologiae magistri, ac Romanae provinciae fratrum Ordinis Praedicatorum prioris provincialis, nobis expositum fuit, quod in non mediocre dictae provinciae bonum cederet, si, quemadmodum in quibusdam aliis dicti Ordinis provinciis sancitum est, certus ac determinatus magistrorum in sacra theologia Ordinis huiusmodi cum loco et voce, qui acceptati communiter nuncupari solent, numerus in dicta Romana provincia per nos constitueretur; nobis propterea dictus Michaël prior provincialis huiusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicam digneremur.

Magistri sint
tantum viginti

§ 2. Nos igitur, eiusdem provinciae felici regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis magistris acceptatis in provincia Romana huiusmodi numerum vicenarium, qui non nisi per eos qui in studio generali provinciae regentis munere functi fuerint excedi possit, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, praescribimus et praefiximus.

Nullus, nisi

§ 2. Ac insuper, quod de cetero nul-

lus, nisi regens ut supra fuerit, in eiusdem provinciae magistrum acceptari valeat, donec et quousque magistri, qui modo sunt in dicta provincia acceptati, quibus per praesentes nullum praepiudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate et tenore praesentium interdiximus et prohibemus. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tol-
luntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon decretis, si qua praemissis adversentur, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrariorum praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xvii maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 17 maii 1639, pontif. anno xvi.

† Edit. Main. de more solito habet quae (N.T.).

DCXLIV.

Quod priores provinciales provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum debeant esse biennales¹.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

*Causae huius
Constitutionis.*

Nuper pro parte dilecti filii Michaëlis Mazarini, in sacrâ theologia magistri, ac Romanae provinciae fratrum Ordinis Praedicatorum prioris provincialis, nobis expositum fuit, quod dictae provinciae priores provinciales ante capitulum generale eiusdem Ordinis in almâ Urbe nostrâ novissime de anno MDCXXXIX celebratum biennales erant, in eo autem capitulo generali statutum fuit, ut priores provinciales ab inde quadriennales foret, exceptis tamen provinciis speciali quoad hoc indulto apostolico gaudentibus. Verum, quia dubitari potest, an in praedictâ provinciâ Romanâ huiusmodi indultum vigeat, ad omnem scrupulum e medio removendum, statutum etiam fuit in dietâ nuper in eadem almâ Urbe in domo regulari seu conventu S. Mariae super Minervam dicti Ordinis habitâ, supplicandum esse, prout idem exponens nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignemur.

§ 1. Nos igitur, felici provinciae huiusmodi gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, ac eundem Michaëlem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore

¹ Vide de his fratribus Constit. xviii Gregorii XI, *Virtute*, tom. iv, pag. 567.

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati;

§ 2. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictae provinciae Romanae priores provinciales biennales sint et esse debeant, nec ultra biennium in huiusmodi provincialatus officio perdurare possint, et quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane existat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus respective.

§ 3. Non obstantibus praedictâ capituli generalis ordinatione, seu statuto, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 28 maii 1639, pontif. anno xvi.

DCXLV.

Confirmatio concessionum domorum regularium de Observantiâ fratribus Reformati S. Francisci quomodolibet factarum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncti nobis apostolici muneris debito christifidelium sub suavi religionis

*Mandat prout
in rubrica.*

*Contrariis
derogat.*

Prooemium.

iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantium votis, per quae eorum quieti opportune consulitur, libenter annuimus, ac desuper eiusdem muneris partes, propensis studiis interponimus, ut iidem christifideles, sublatâ omni perturbationum materiâ, in pacis amoenitate, ac iustitiâ et sanctitate coram Deo felicioribus in dies proficiant incrementis.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ascanius ab Assisio, procurator generalis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, nonnullae domus regulares, quas fratres Minores de Observantiâ nuncupati Ordinis praedicti possidebant, dictis fratribus Reformati, apostolicâ auctoritate, vel a superioribus Ordinis huiusmodi, aut aliâs alio modo assignatae et concessae fuerint; ut autem litibus et controversiis, quae propterea fortassis excitari possent, via praeccludatur, idem procurator assignationes et concessionem praedictas auctoritate nostrâ apostolicâ comprobare, et aliâs desuper, ut infra, providere summopere desideret: nos, eiusdem Ascansii procuratoris votis huiusmodi benigne annuere volentes, illumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Ascansii procuratoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

*Confirmat prout
in rubrica.*

§ 2. Assignationes et concessionem domorum regularium praedictarum dictis fratribus Reformati, apostolicâ auctoritate, vel a superioribus Ordinis huiusmodi, vel aliâs quomodolibet factas ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, il-

lisque inviolabilis perpetuae firmitatis apostolicae robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Mandantes propterea quibusvis dicti Ordinis superioribus et fratribus, quomodocumque nuncupatis et qualificatis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrendis, aliisque arbitrii nostri poenis, ne super assignationibus et concessionibus praedictis litem seu lites contra Reformatos huiusmodi movere seu intentare, vel illos in ius vocare, aut aliâs quomodolibet eis desuper molestiam exhibere audeant seu praesumant, et nihilominus ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque domibus regularibus, superioribus, conventibus, fratribus et quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 30 maii 1639, pontif. anno xvi.

¹ Aptius forsân legeretur de more solito *arbitrio nostro* (R. T.).

DCXLVI.

Collegia S. Nicolai de Anexiaco et de Rovere in civitate Avenionensi subiciuntur regimini sacrae Congregationis de Propaganda Fide¹.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Iniuncti nobis desuper apostolici muneris ratio postulat, ut collegiorum, ad iuventutis instructionem, praesertim in civitatibus nostrae ditioni subiectis, institutorum, paternam curam gerentes, ea, quae ad eorum damnum incuriam personarum illis praesidentium et defectu debitae provisionis irrepsisse comperimus, de medio tollamus, eisque, pro illorum felici gubernio, ac iurum conservatione, nec non alumnorum in eo pro tempore degentium tranquillitate, et bonis moribus et disciplinis eruditione, novos protectores, de quorum uti cardinalatus honore fulgentium in rebus omnibus eximia solertia et prudentia, singularique zelo, et charitatis affectu nusquam haesitandum sit, constituamus et deputemus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Refert malum horum collegiorum statum. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate nostra Avenionensi unum S. Nicolai de Anexiaco magnum nuncupatum et alterum della Rovere vulgo etiam nuncupatum collegia pro recipiendis, alendis et instruendis in eis collegialibus seu alumnis ex provinciis et locis in eorum fundatione expressis evocandis a multis annis apostolica auctoritate aut alias instituta erecta et dotata reperiantur, et ex relatione visitationis praedictorum collegiorum in Congregatione de Propaganda Fide in nostra praesentia habita nobis innotuerit, bona tam libera quam em-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

phyteptica et iurisdictiones ac redditus praedictorum collegiorum temporis successu, et malo rectorum et aliorum, qui curam illorum habuerunt, regimine, non solum deteriorata et imminuta, sed etiam ex parte alienata fuisse, ipsorum quoque collegiorum aedificia praedictorum ministrorum incuriam et negligentiam pessundata, et disciplinam collegialium, seu alumnorum, ob constitutionum praedictorum collegiorum inobservantiam, fere penitus esse collapsam, et denique contra fundatorum mentem et dispositionem pontificiarum constitutionum pro praedictis collegiis editarum multos graves in eis et praesertim circa gubernium praedictorum collegiorum seu alumnorum irrepsisse abusus, quibus nisi celeriter provideatur, res praedictorum collegiorum in deterius labi necesse est, et modica seu nulla utilitas aut fructus ex illis imposterum percipientur:

§ 2. Nos, eorumdem collegiorum reformationi, conservationi et mantentioni, bonoque eorum regimini, ac praedictorum bonorum et iurisdictionum, ac reddituum eorum exactioni ac fideli administrationi consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostris, habito etiam super supradictis collegiis et eorum reformatione cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotio Propagationis Fidei in universum mundum praepositis maturo consilio, collegia praedicta et eorum quodlibet, necnon eorum ac cuiuslibet ipsorum doctores, magistros, scholares, aliosque ministros et personas quascumque, necnon bona, iurisdictiones, proventus, iura et emolumenta quaecumque, quocumque nomine nuncupata, aliasque res omnes et singulas, tam ecclesiasticas quam profanas, necnon etiam ecclesias seu cap-

Quare ea subicit regimini sacrae congregationis de Propaganda Fide.

pellas omnino iurisdictioni, gubernationi, protectioni et directioni nunc et pro tempore existentium eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagationis Fidei praepositis huiusmodi, private quoad omnes alios quacumque dignitate fungentes, etiamsi specialem requirerent mentionem, qui super collegii personis, rebus et bonis praedictis, vel earum aliquibus, similem gubernationem, protectionem, iurisdictionem et directionem ex quacumque causa quomodolibet habent, seu habere dici aut praetendi possunt seu poterunt quomodolibet in futurum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo subicimus et submittimus.

Eidem congregationi facultatem concedit rectorem aliosque ministros deputandi.

§ 3. Eisdemque cardinalibus negotio Propagationis Fidei huiusmodi praepositis nunc et pro tempore existentibus praedicta collegia et eorum quodlibet, prout eis visum fuerit, reformandi, regendi et gubernandi, rectoresque, iudices, cappellanos, oeconomos et alios ministros eorumdem collegiorum et cuiuslibet eorum deputandi et constituendi, eosque et quemlibet eorum ad eorumdem cardinalium merum, liberum et absolutum beneplacitum, etiam absque ulla causa amovendi, in collegiis praedictis scholares seu alumnos ex provinciis in fundationibus eorum expressis et nominatis oriundis, qui testimoniales litteras suorum Ordinariorum de vita, moribus et idoneitate ad studia deferant, admittendi, eosque, si discoli aut inepti ad studia fuerint, vel alias in litteris vel bonis moribus non profecerint, et denique si constitutiones praedictorum collegiorum non observaverint, e collegiis ipsis et eorum quolibet eiiciendi; necnon eorumdem collegiorum et cuiuslibet eorum bona, iura et iurisdictiones et redditus huiusmodi administrandi, ipsosque redditus in alendis scholaribus et ministris, ac in reficiendis et reparandis fa-

Alumnosque admittendi, seu reficiendi.

Bona administrandi.

bricis eorum collegiorum et eorum cuiuslibet, aut alias, prout expediens videbitur, circa mantentionem et conservationem praedictorum collegiorum et cuiuslibet eorum insumendi, bonaque et iurisdictiones huiusmodi ad tempus a iure permissum locandi et dislocandi, affictus exigendi, eosque insumendi, ut supra, ac de exactis quietandi, aliaque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, exercendi, petendi ac procurandi et exequendi, etiam private quoad omnes alios, ut supra, eisdem auctoritate et tenore, plenam, liberam et omnimodam, absolutam licentiam et facultatem ac auctoritatem etiam perpetuo concedimus et impertimus.

§ 4. Eisdem cardinalibus, ut facultatem et auctoritatem eis ut supra concessam et impertitam circa praemissa, vel eorum aliquod, ac in toto, vel in parte, prout eis videbitur, nunc et pro tempore existentibus legatis vel prolegatis Avenionensibus, aut congregationi particulari in civitate Avenionensi erectae seu erigendae communicare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore huiusmodi, de speciali gratia similiter perpetuo indulgemus.

§ 5. Nec non easdem praesentes, etiam ex eo quod collegia ipsa vel eorum alterum immediate protectioni huius sanctae Sedis Apostolicae forsitan subiecta sint seu subiectum sit, et quicumque in praemissis vel circa ea quomodolibet interesse habentes aut habere praetendentes praemissis non consenserint, aut ad ea vocati, et causae, propter quas illa fiant, coram loci Ordinario aut quocumque alio superiore verificatae vel iustificatae non fuerint, aut quovis alio praetextu quantumvis legitimo et iuridico, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari vel impuguari nunquam

Aliosque ad eadem delegandi.

Clusulae praesentium litterarum Ormulate.

posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut limitationibus pro tempore quomodolibet, etiam motu simili, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine factis et faciendis, comprehendendi, sed semper ab illis excipi, et quoties eas revocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore, sicque et non aliâs ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos vel vicelegatos, aut Sedis Apostolicae nuncios, sublata eis et eorum cuiuslibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executorum deputatio.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac prolegato Avenionensi, necnon officiali venerabilis fratris nostri archiepiscopi Avenionensis, per apostolica scripta motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum cardinalium negotio Propagationis Fidei, ut praefertur, praepositorum seu aliorum ab eis deputatorum vel deputandorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque¹ efficacis defensionis praesidio as-

¹ Male edit. Main. legit eos (n. t.).

² Male edit. Main. legit illique (n. t.).

sistentes, faciant auctoritate nostrâ eadem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, dictosque cardinales, seu ab eis deputatos, seu deputandos, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque directe vel indirecte quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac per censuras et poenas ipsas, legitimis super his habendis¹ processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus dictorum collegiorum foundationibus et erectionibus, quatenus in aliquo obstant, quorum², ac litterarum super eis confectarum tenores ac datas eisdem praesentibus haberi volumus pro expressis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate earundem praesentium ad iudicium non trahatur, necnon nostrâ de iure quaesito non tollendo, et, quatenus opus sit, pie memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ registrandis et insinuandis, alioquin illae non valeant, aliisque apostolicis, aut in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon collegiorum praedictorum et eorum cuiuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, collegiis praedictis, et

¹ Subde servatis (n. t.).

² Legendum foret quarum (n. t.).

DCXLVII.

Quod secretarii generales Ordinis Minorum de Observantiâ in ministrum seu commissarium generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab expleto suo officio¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prospero felicique dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum regimini et gubernio, pro pastoralis nostrâ sollicitudine, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eorum cuiuslibet, necnon ipsorum et cuiuslibet eorum magistris, doctoribus, scholaribus, aliisque superioribus et personis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, in contrarium forsitan per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et Sedis Apostolicae de latere legatos et vicelegatos, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliâs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse motu pari derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poenales.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae subiectionis, submissionis, concessionis, impertitionis, indulti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIX, IV idus iunii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 iunii 1639, pontif. anno XVI.

Bull. Rom. — Vol. XIV.

92

Exordium.

Prospero felicique dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum regimini et gubernio, pro pastoralis nostrâ sollicitudine, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine,

Exordium.

§ 1. Quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, ille seu illi¹ ex fratribus dicti Ordinis, qui pro tempore existentis ministri generalis eiusdem Ordinis secretarius seu secretarii fuerint, in ministrum seu commissarium generalem Ordinis huiusmodi immediate et per sexennium post illum ministrum generalem, cui in officio secretarii inservierint, ac pariter, durante dicto sexennio, si novi ministri generalis immediate quocumque modo officium vacare contingat, in vicarium generalem nullo modo eligi possint et valeant, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Mandat pro ut in rubrica.

§ 2. Sicque inviolabiliter observari, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, irritumque et inane

Decretum irritans.

¹ De vacantia officiorum Ordinis lege ad constitutionem *Militantis*, Gregor. XV, ac *Theatrum regularium*, verb. *Vacantia*. — Hucusque adnotatio Mainardiana; sed citatio frustranea: potius legerem *constit. Militantis*, ipsius Urbani VIII, tom. XIII, pag. 663 (n. t.).

¹ Vocem *illi* addimus ex edit. Cherub. (n. t.).

si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque superioribus et fratribus, ac secretariis huiusmodi, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum forsitan concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 12 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLVIII.

Confirmat omnia et singula privilegia a Clemente Papa VIII provinciae sancti Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum regularis Observantiae S. Francisci in Hispania concessa¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam

Cum ea, quae propter iustas et rationabiles causas aliquando stabilita sunt, ipsa rerum et temporum experientia doceat provide oportere moderari et immutari; superioribus vero annis per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras, pro

¹ De huiusmodi fratribus Discalceatis lege, quae notavi ad Constit. CCCLIX (al. 331), Regis pacifoi, sup. pag. 127; et ad Const. DXXVII (al. 494), Cum sicut, ut sup. pag. 498.

bono rēgimīne provinciae S. Ioannis Baptistae fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum, regularis Observantiae sancti Francisci in Hispania, quaedam clausulae quarumdam aliarum in eadem formâ Brevis in favorem eiusdem provinciae a felicitis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanatarum, incipientium *Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito*, sub datum die XIX novembris MDXCIX, declaratae et aliae limitatae fuerint; ex praefatâ vero limitatione, seu moderatione, nonnulla gravia inconvenientia, quae novis litibus et inquietudinibus ianuam aperuerunt, in dies oriri videantur: nobis propterea dilecti filii Michaël Teruel minister provincialis et definitores dictae provinciae fratrum eorundem per dilectum etiam filium Franciscum Seguer dicti Ordinis professorem, eorum procuratorem, humiliter supplicari fecerunt, ut omnia et singula gratias et privilegia in praedictis Clementis praedecessoris litteris eidem S. Ioannis Baptistae provinciae aliâs concessa confirmare, et opportune sibi, ut infra, providere et indulgere de benignitate apostolicâ digneremur.

§ 1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, quieti et statui, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus, omnem super praemissis inconvenientium huiusmodi materiam et occasionem e medio submovere, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium durtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore

Confirmatio.
prout in rubrica

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatas Clementis praedecessoris litteras in favorem provinciae praedictae S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementum.

Quod possint erigere nova loca, cum sola Ordinarii licentiâ.

§ 2. Et insuper modernis eidem Michaëli et pro tempore existentibus ministro provinciali, custodi, definitoribus, guardianis, et fratribus dictae provinciae, ut quascumque domos, sive eremitoria, seu loca, si qua¹ sibi a piis christifidelibus in Hispaniae partibus concedantur, recipere, et in illis conventus sui Ordinis erigere et fundare, servatâ tamen aliâs sacrorum canonum et decretorum sacri Concilii Tridentini formâ, de solâ Ordinarii loci licentiâ, ac nullo quarumvis aliarum personarum cuiusvis Ordinis, congregationis, aut instituti regularium desuper requisito consensu, ac in² domos sui Ordinis et provinciae praefatae, cum ecclesiâ, sacratio, campanâ seu campanis humilibus, coemeteriis, claustro, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis et aedificiis necessariis, erigere et fabricari facere, ac in illis fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum domorum ecclesiis, postquam erectae et fabricatae fuerint, sanctissimum Eucharistiae sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare, ut in ceteris fratrum Discalceatorum eorundem domibus fieri solet,

Ac recipere ad habitum et professionem.

§ 3. Ac eiusdem provinciae nunc et pro tempore existentibus ministris provincia-

¹ Edit. Main. legit quae (n. T.).

² Videtur legendum ibi pro in (n. T.).

libus, seu guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis praelatis, ad quos de iure et iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata spectat et pertinet, ut quoscumque praedictum Discalceatorum Ordinem ingredi et profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tam fratres professi quam novitii numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta ad habitum et professionem recipere et admittere, ac cum aliis religiosis professis incorporare libere et licite valeant, licentiam et facultatem perpetuo concedimus.

§ 4. Praeterea, quod provincia praefata illiusque fratres et conventus suis arctioribus constitutionibus et statutis, quae in pleno capitulo provinciali a maiori parte capituli recepta et stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda statuta generalia a capitulis vel congregationibus generalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia eiusdem Ordinis superiorum mandata, quae ministri provincialis, custodis et definitores provinciae iudicio fuerint dictorum fratrum Discalceatorum reformationi aut commodo dissentanea, teneantur;

§ 5. Quod ministri seu praelati provinciales, congregationes particulares, quas definitoriales vocant, quando et ubi commodius sibi visum fuerit, libere et licite convocare et celebrare, ac in eis quaslibet electionem guardianorum et aliorum officiorum¹ facere, et quascumque causas, sive civiles sive criminales, et negotia ad eandem provinciam spectantia, iuxta formam sacrorum canonum et regularium statutorum et suarum constitutionum provincialium, tractare, definire et sententiare

Quod moderentur cum solis statutis reformatis.

Quod congregationes convocare possint.

¹ Forsan legendum officialium (n. T.).

possint; quodque praelati generales eiusdem Ordinis huiusmodi congregationes particulares, definitores, aut earum electiones, seu definitiones, vel decreta et sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant;

§ 6. Quod dicta provincia, eiusque nunc et pro tempore existentes conventus et fratres, nisi per fratres visitatores alicuius provinciae Discalceatorum huiusmodi, a praelatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari aut syndicari possint; quodque huiusmodi visitatores Discalceati in dictam provinciam ingredi, aut in eam aliquam iurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii ministri provincialis, nempe post duos annos et septem menses provincialatus cuiuslibet ministri provincialis eiusdem provinciae transactos, et non antea; tales autem visitatores omnia statuta provincialia eiusdem provinciae observare, et iuxta illorum tenorem et praescriptum provinciam visitare et gubernare debeant et teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu maioris partis definitorii, plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in litteris patentibus et authenticis a praelatis generalibus, aliisque superioribus, specialiter iisdem indultum et concessum fuerit;

§ 7. Ut autem omnes ambitionis et iniustitiae occasiones, quae sub simulato ac apparentis correctionis et reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam praedicti visitatores commissarii suam iurisdictionem et visitationem in provinciam huiusmodi coeperint exercere, nulli guardiani, nullique vocales, quibus concursus ad capitulum proxime futurum de iure competit, possint ante ipsum celebratum capitulum ob aliquam seu aliquas causas ab officio removeri nec voce activa aut passiva privari; si autem in ipsa visitatione aliqui-

bus delictis et culpis quidam praefatorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio et correctio post omnes electiones capituli factas differatur, vel aliis canonicis et regularibus poenis, praeter privationem officii ac vocis activae et passivae, arbitrio superiorum puniri debeant;

§ 8. Insuper, quod fratres eiusdem provinciae S. Ioannis Baptistae ab ipsa sua provincia per quoscumque superiores abstrahi nequeant ut ad Indos vel alias partes et provincias remittantur, nisi de consensu capituli provincialis vel definitorii pleni eiusdem provinciae; et quod huiusmodi superiores, quicumque illi sint, non possint fratres praefatos licentia, ut in domibus secularium seu extra claustra habitent, nisi servata ad unguem forma a Clemente praedecessore praefato praescripta in Bulla seu litteris de reformatione regularium incipientibus *Nullus omnino praetextu cuiuscumque privilegii*¹, sub anno MDXCIII², nempe quod tales licentiae nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica approbanda nullatenus concedantur, quae vero aliter concessae sint, ipso facto irritae et nullae censeantur, et religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur;

§ 9. Quodque possint iidem fratres Discalceati intra septa domus regularis suae libros a bibliothecis de licentia praelati abstractos habere, et illis uti, dummodo, postquam illis usi fuerint, eisdem bibliothecis illos restituere procurent; ac demum ministro provinciali, custodi, necnon guardianis, conventibus et fratribus universis dictae provinciae nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis gratis, indultis et privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis et litteris aposto-

¹ Illas habes in tom. x, pag. 37, et iterum in tom. XIII, pag. 207 (R. T.).

² Male edit. Main. habet 1599 (R. T.).

Quod gaudeant omnibus privilegiis aliarum provincialium.

licis, tam provinciis S. Iosephi et S. Pauli, quam quibusvis aliis eiusdem Ordinis fratrum Discalceatorum Hispaniarum provinciis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores ac per sanctam Sedem Apostolicam hactenus concessis et impostorum concedendis, aequae ac si ipsimet provinciae S. Ioannis Baptistae nominatim concessa fuissent, frui, potiri et gaudere perpetuo possint et valeant, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo concedimus et indulgemus. Volumusque, statuimus et ordinamus respective, et insuper praecipimus ministro et commissario generalibus Ordinis Minorum regularis observantiae, et quibusvis commissariis et visitoribus ad dictam provinciam S. Ioannis Baptistae destinatis, ceterisque tam praelatis quam subditis, sub excommunicatione latae sententiae ac privatione quorumcumque officiorum et dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendis, ne in praemissis fratres praefatos Discalceatos provinciae S. Ioannis Baptistae huiusmodi litibus gravari aut quovis modo molestari permittant, quinimo praefata omnia privilegia et indulta illis inviolabiliter observent et observari faciant, ac per suas proprias litteras, quoties pro parte praefatorum fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, faveant et assistant.

Deputatio exequutorum.

§ 10. Et nihilominus venerabilibus fratribus Valentino et Granatensi archiepiscopis, necnon Carthaginensi, Guadixensi, Oriolensi, Dertusensi et Illerdensi episcopis, eorumque vicariis generalibus seu provisoribus¹, ac dilecto filio curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem fratrum Discalceatorum

¹ Nescio an legendum *provicariis* (R. T.).

desuper fuerint requisiti, solemniter publicent, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per praelatos generales et visitatores praefatos quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praefatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 11. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitiis, seu intentionis nostrae defectu, etiam eo quod in praemissis interesse habentes, vel fratres de Observantia praefati, aut quicumque alii, vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius vel controversiam revocari posse¹, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, per quam cavetur expresse ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dictae Sedis licentia speciali de prohibitione huiusmodi expressam mentionem facientes recipiant, et de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad

Decretum irritans.

¹ Verbum *posse* nos addimus (R. T.).

Quod provincia non possit visitari nisi per visitatores Discalceatorum.

Positiones sunt post celebrationem capituli.

iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostris litteris quae incipiunt *In cathedra B. Petri apostolorum Principis*, de anno MDCXXVI emanatis¹, ac quibusvis eiusdem Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam per fratres Discalceatos huiusmodi acceptatis, praesertim capitulorum seu congregationum generalium quibus cavetur expresse ne fratres Discalceati huiusmodi domum aliquam dicti eorum Ordinis, absque expressâ licentiâ capituli generalis, aut infra quinque leucas a domo eorumdem fratrum Minorum, erigere audeant, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem² Ordini fratrum Minorum illiusque superioribus, et quibusvis religionis particularibus, aliisque personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ministro et³ commissario generalibus, aut fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantiâ, seu qui-

¹ Quas vide tom. XIII, pag. 455 (R. T.).

² Aptius legerem *eidem* (R. T.).

³ Coniunct. et nos addimus (R. T.).

busvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 12. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, et dictâ auctoritate decernimus, quod transumptis earumdem praesentium, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsi praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 15 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCXLIX.

Erectio alumnatus pro Abyssinis ac Bracmanis in collegio Urbano de Propagandâ Fide¹.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa² pastoralis officii cura, nobis meritis licet imparibus divinitus demandata, ad ea potissimum procuranda nos iugiter impellit, per quae exterarum nationum sub infidelibus principibus non corporum servitutem tantum, sed, quod miserrimum est, animarum captivitatem sustinentium³ iuvenibus, foedissimis ignorantiae tenebris absolutis, ad pietatem et optimos mores, ac disciplinas sacrasque litteras, quibus mundus illuminatur, ca-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

² Vide supra pag. 580 (R. T.).

³ Male ed. Main. legit *sustinentur* (R. T.).

Transumptis
credi iubet.

Prooemium
ab ipsa materia
sumptum.

pendendum, mediantibus novorum alumnatum in hac nostrâ Urbe ceterarum omnium magistrâ erectionibus, aditus aperiantur, ut hoc medio illis in fidei catholicae huiusque¹ Sanctae Sedis cultu educatis et instructis, ac ad eorum regiones postea reversis, frangendi illic esurientibus panem suum spirituales, semitamque rectam, per quam ambulent, veritatisque lumen et salutis viam edocendi, religionem catholicam in longinquis partibus et earum efferatis gentibus restituendi et propagandi possibilitas non negetur: unde sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, praesertim nobis sanguine coniunctorum, in id facultates suas, etiam cum non modico eiusdem Urbis decore, liberali manu erogare intendentium votis, non solum apostolici favoris suffragium ultro adhibemus, sed etiam in tam eximiae pietatis operis remunerationem eos eorumque posteros condignâ honoris praerogativâ decoramus, aliâsque desuper disponimus et ordinamus, prout, rerum, personarum et temporum qualitatibus debite consideratis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refert duodecim alumnatus a cardinali Antonio Barbarino aliâs erectos in collegio Urbano, vide supra pag. 580.

§ 1. Aliâs siquidem, seu nuper, nos votis dilecti filii nostri fratris Antonii Barberini tituli tunc S. Honuphrii, nunc vero S. Petri ad Vincula nuncupati, presbyteri cardinalis S. Honuphrii nuncupati, nostri secundum carnem fratris germani, maioris poenitentiarum et bibliothecae apostolicae praefecti, uniusque ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super negotiis de fide catholicâ propagandâ deputatis, annuere volentes, unum alumnatum pro duodecim pro tunc alumnis certis modo et formâ tunc expressis qualificatis, et ex Gregorianorum² et Perpararum ac Nestorianorum, necnon Iacobitarum et Melchitarum, atque Cophtorum

¹ Perperam ed. Main. legit *huiuscumque* (R. T.).

² Potius lege *Georgianorum* (R. T.).

nationibus, duobus videlicet pro qualibet oriundis, in collegio de Propagandâ Fide huius almae Urbis perpetuo ereximus et instituimus; eique sic erecto et instituto, pro illius alumnorum sustentatione, aliorumque onerum supportatione, redditus annuos per dictum fratrem Antonium cardinalem assignatos et tunc expressos etiam perpetuo concessimus et assignavimus; ac ius nominandi alumnos praedictos eidem fratri Antonio cardinali, et certis aliis tunc expressis personis, sub certis modo et formâ etiam tunc expressis, similiter perpetuo reservavimus, concessimus et assignavimus, aliâsque decrevimus et statuimus, prout in nostris, sub datum videlicet x kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XIV, confectis, plenius continetur¹.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nunc innotuit, idem frater Antonius cardinalis, sanctissimum et dictae Romanae Ecclesiae utilissimum eiusdem congregationis opus per amplius promovere desiderans, alium alumnatum aliorum tredecim alumnorum pro Aethiopicâ, sive Abissinâ, et Bracmanâ Indiarum orientalium et in earum defectum Armenâ nationibus, quas non minori operariorum ecclesiasticorum quam priores seu² nationes supra expressas penuriâ laborare conspexit, etiam fundare, eidemque competentem dotem assignare, necnon ius nominandi sibi et aliis, ut infra, reservare intendat, seu dotem huiusmodi iam forsitan assignaverit.

§ 3. Nos, tam pium opus, quantum in nobis est, confovere et ad optatum finem perducere sinceris affectibus desiderantes, et eiusdem Antonii cardinalis sanctissimum propositum huiusmodi plurimum in Domino commendantes, nostrarumque litterarum praedictarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis ha-

¹ Quas vide supra pag. 580 (R. T.).

² Particula seu videtur superflua (R. T.).

Mentemque
eiusdem cardinalis
alios tredecim
fundandi.

Erigit Urbanus.

bentes, motu proprio, non ad alicuius de-
super nobis oblatae petitionis instantiam,
sed ex certâ scientiâ merâque delibera-
tione nostris, ac de apostolicae potestatis
plenitudine, in dicto collegio de Propa-
gandâ Fide, ultra alios iam ibi erectos et

Nationesque
assignat.

institutos, etiam unum alium alumnatum
aliorum tredecim alumnorum, septem vi-
delicet pro Æthiopicæ, seu Abissinæ, sex
aliorum vero pro Bracmanæ Indiarum
orientalium nationum huiusmodi alumnis,
bonæ complexionis, ac mente et corpore
sanis, sine ullo corporali defectu, non mi-
noribus quindecim, nec maioribus viginti,
seu viginti unius annorum, in latinâ vel
italicâ linguâ aliquo modo introductis

Ac quilibet
recipiendorum.

Et quid agen-
dum sit, si con-
tingat ex de-
scriptis nationi-
bus alumnos de-
ficere.

(ita tamen, ut si aliquando contingat ali-
quâ vice non posse ex alterâ nationum
huiusmodi, pro explendis aliquibus, seu
pluribus, vel etiam omnibus eius locis
vacantibus, per triennium a die vacatio-
nis huiusmodi, alumnos haberi, elapso dic-
to triennio in locum vacantem seu loca
vacantia, qui vel quæ¹ per neutrius nationis
huiusmodi alumnos impleri nequiverit
vel nequiverint, tunc et eo casu alumni
nationis Armenæ ad illum vel illa assumantur
et admittantur; hoc tamen inter alumnos
nationis Armenæ præfatae prælationis ordine
servato, quod videlicet primo illi qui Poloniam
et Russiam, et deinde qui Constantinopolim,
et postea qui Præcopensam, Tartariam, et
successive qui Georgiam, demum vero, qui
maio-rem et minorem Armeniam et Persiam
incolunt seu inhabitant, in alumnos huius-
modi assumantur)

Alumnos re-
gulis collegii
eiusdem subiecti.

§ 4. (Qui quidem tam Æthiopicæ sive
Abissinæ et Bracmanæ quam Armenæ
nationum huiusmodi omnes et singuli
alumni prædicti sub rectoris disciplina
et regimine, necnon sub regulis et con-
stitutionibus dicti collegii de Propagandâ

¹ Voces qui vel quæ nos addimus alioquin
syntaxis imperfecta manet (R. T.).

Fide eo modo quo ceteri illius alumni,
qui de præsentem in ipso collegio educan-
tur, nullâ prorsus inter eos constitutâ dif-
ferentiâ vivere,

§ 5. Et Bracmani videlicet iuramentum
a dictâ congregatione alumnis Pontificiis
præscriptum, eo modo quo iacet, Æthio-
pici vero, seu Abissini, et Armeni cum
infrascriptâ moderatione, quod Æthiopici
sive Abissini scilicet sancti Antonii et sancti
Macarii, Armeni vero sancti Antonii
tantum religiones respective ingredi et in
eis profiteri possint), apostolicâ auctori-
tate, tenore præsentium, perpetuo eri-
gimus et instituimus;

Iuramentum
ab eis præstari
præcipit aliqua
adhibita diffe-
rentia.

§ 6. Illoque¹ sic erecto et instituto pro
eius dote et illius alumnorum pro tem-
pore existentium sustentatione, onerum-
que ei incumbentium supportatione, red-
ditus annuos et perpetuos per eundem
fratrem Antonium cardinalem ad eum ef-
fectum, ut præfertur, assignatos seu assi-
gnandos, et e manibus ipsius fratris Anto-
nii cardinalis, quoad vixerit, seu ab eo
deputati capiendos et exigendos, tot videli-
cet loca montium non vacabilia de Urbe,
ex quibus ad minus octingenta et quadra-
ginta tria annua scuta percipiuntur, dictâ
auctoritate etiam perpetuo applicamus et
appropriamus.

Dotem pro
illorum susten-
tatione.

§ 7. Ac pro tempore existentibus alum-
natus sic noviter erecti huiusmodi alumnis,
aliisque personis, ut omnibus et singulis
privilegiis, immunitatibus, libertatibus,
exemptionibus, gratiis et indultis univer-
sis, quibus alii dicti collegii alumni in
eo nunc et pro tempore degentes de iure,
usu, consuetudine, privilegio, aut aliâs
pro tempore quomodolibet utuntur, fruun-
tur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui,
potiri et gaudere libere et licite poterunt
quomodolibet in futurum, similiter et pa-
riformiter, ac sine ullâ prorsus differentiâ

Ceterorum
alumnorum pri-
vilegiis partici-
pes facit.

¹ Forsan legendum illique (R. T.).

non solum ad eorum instar, sed etiam
aeque principaliter, uti, frui, potiri et
gaudere libere et licite valeant, auctori-
tate et tenore præmissis, similiter perpe-
tuo de speciali gratiâ indulgemus.

Ius nominan-
di familiae Bar-
berinae reser-
vat.

§ 8. Praeterea ius nominandi alumnos
prædictos ex Æthiopicâ, sive Abissinâ, et
Bracmanâ, seu Armenâ, nationibus ut su-
pra oriundos, ac iuxta modum et formam
supradictos¹, et non aliâs, sub poenâ nul-
litate nominationum huiusmodi eo ipso,
ad tredecim pro nunc, et, si aliquando illa
tractu temporis augeri contingat, etiam
ad alia sic erecta loca alumnatus noviter
erecti prædicti, tam hac primâ vice a
primaevâ illorum erectione et institutione
huiusmodi, quam² aliâs pro tempore
quovis modo vacatura, in locis huiusmodi,
præviâ tamen diligenti inquisitione per
cardinales e prædictâ congregatione de
Propagandâ Fide deputandos faciendâ su-
per eorum qualitatibus ut supra requisit-
is, et, quando illae³ in eis concurrunt, per
eiusdem congregationis cardinales præ-
dictos ad prædictam nominationem, et
non aliâs, confirmandos seu instituendos,
ac ponendos et collocandos, dicto fratri
Antonio cardinali donec vixerit, eo vero
defuncto; dilectis filiis nostris Francisco
S. Laurentii in Damaso Barberino nuncupato
dictae S. R. E. vicecancellario, et Antonio
S. Agathæ, diaconis respective
nuncupatis cardinalibus, eiusdem sanctae
Romanae Ecclesiae camerario, nostris se-
cundum carnem ex fratre germano ne-
potibus, qui per turnum alternis vicibus
nominare debeant; ipsis vero deficienti-
bus, cardinali, si tunc vel quandocumque
aderit de familiâ nostrâ Barberina ex lineâ
dilecti filii nobilis viri Thaddaei Barberini,
nostri etiam secundum carnem ex fratre

nepotis, Urbis præfecti ac principis Prae-
nestini, descendenti, et in defectum car-
dinalis, praelato, et non existente tunc
praelato, personae ecclesiasticae de eadem
familiâ descendenti; et, si forte casus eve-
nerit, quod eodem tempore extent plures
cardinales de eiusdem Thaddaei præfecti
et principis familiâ et descendentiâ, om-
nibus illis aequaliter, ita tamen ut no-
minatio ipsius¹ per turnum et alternatim
fiat; existentibus vero pluribus praelatis
et personis ecclesiasticis, illi soli qui ma-
iorem obtinuerit praelaturam, et, inter ae-
quales, qui aetate maior erit; in defectum
vero cardinalium et praelatorum et per-
sonarum ecclesiasticarum de lineâ dicti
Thaddaei præfecti et principis, tunc ipsi
Thaddaeo præfecto et principi, eoque non
existente, vel quandocumque deficiente,
vocatis et comprehensis in iure succe-
dendi per nos ordinato, ita ut inter om-
nes sic supranominatos, quoties casus
e venerit, assumptioni et reassumptioni iu-
ris nominandi huiusmodi semper locus sit,
auctoritate huiusmodi perpetuo quoque
reservamus, concedimus et assignamus.

§ 9. Praeterea dicto Antonio cardinali
quoad vixerit, ac, eo defuncto, prædictae
congregationi de Propagandâ Fide, tam
per praesentes sic noviter erecti, quam
alterius per dictum fratrem Antonium
cardinalem ut præfertur fundati, et per
nos in aliis nostris litteris supradictis in-
stituti, alumnatum huiusmodi, cuius ius
nominandi etiam semper salvum sit ut
præfertur, omnimodam protectionem,
regimen, gubernationem et plenam supe-
rintendentiam (ita ut tam ipsi Antonio car-
dinali quoad vixerit, quam post eius obitum
dictae congregationi liceat corporalem
possessionem locorum montium assigna-
torum aut assignandorum tam prædicto
priori alumnatui quam huic posteriori

Regimen hu-
iusmodi alum-
norum congrega-
tioni de Propa-
ganda Fide
tribuit.

¹ Vel lege supradicta (R. T.).

² Edit. Main. legit *quatenus* pro *quam* (R. T.).

³ Perperam edit. Main. legit *quod illi* pro
quando illae (R. T.).

propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare et in dictorum alumnatum usus et utilitatem convertere, vicarii Urbis vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita) necnon facultatem amborum alumnatum huiusmodi locorum vacantium redditus in Monte Pietatis de Urbe deponendi, et in necessitates eorum alumnatum impendi, vel, iis cessantibus, ad hoc ut numerus alumnorum arbitrio dictae congregationis habendae coram Romano Pontifice pro tempore existente tantum augeri possit, investiri mandandi, ac deputandi in rectorem dictorum alumnatum per eius patentes rectorem pro tempore dicti collegii, cuius curae immediate subsint eorum alumni, quique praedictae congregationi, seu ab ea deputando, singulo trimestri rationem dati et expensi reddere debeat, et insuper curandi, ut ministri et servientes alumnatum praedicti collegii de Propaganda Fide etiam alumnis praedictorum duorum alumnatum ministrent et inserviant (exceptis duobus praefectis pro alumnis praedictorum duorum alumnatum ab eodem fratre Antonio cardinale dum vixerit, et, post eius mortem, ab eadem sacra congregatione de Propaganda Fide deputandis, qui praefecti ut supra deputandi, inter ceteras qualitates, habiles sint ad docenda prima rudimenta grammaticae Latinae alumnis praedictorum duorum alumnatum, idque efficere teneantur donec praedicti alumni scholas publicas adire et frequentare valeant) simili auctoritate item perpetuo tribuimus et impertimur.

§ 10. Decernentes praemissa omnia et singula, ac easdem praesentes, ullo umquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocum-

que alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci non posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et camerae apostolicae praesidentes clericos, et eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, ac vicecancellarios, necnon causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 11. Quocirca dilectis filiis moderno et pro tempore existentibus Urbis gubernatori, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, necnon nostro in eadem Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, et nunc et pro tempore interesse habentes praedictos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et poenas ipsas servata forma Concilii Tridentini et iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Exequutorum
deputatio.

Derogatio
contrariorum.

§ 12. Non obstantibus aliis nostris litteris praedictis, si in aliqua¹ huic nostrae gratiae conformes non sint, aut contrariantur, necnon nostram de gratiis ad instar non concedendis, et quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac collegii et Urbis praedictorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis², privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictae congregationi, et quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque superioribus, deputatis, rectoribus, alumnis et aliis personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, aut alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbo ad verbum, nihil penitus omissis, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu huiusmodi derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras

¹ Legerem in aliquo (R. T.).

² Vox statutis iam praecessit (R. T.).

apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 13. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo dictae congregationis aut alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, ubicumque opus fuerit, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, reservationis, concessionis, assignationis, tributionis, impertitionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXIX, XI kalendas iulii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 21 iunii 1639, pontif. anno XVI.

DCL.

Abrogat omnia et singula privilegia personalia per religiosos Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quae eorumdem constitutionibus adversantur.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, aequi bonique supernus¹ assertor, gregi dominico a Deo et Salvatore nostro praepositus, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et de-

¹ Videretur legendum, ut alibi, *supremus* (R. T.).

Fides danda
transumptis.

Clausulae po-
nales.

Prooemium.

Rectoris mu-
nus.

Ac praefecto-
rum.

Clausulae.

struat, utiliaque plantet et aedificet, ea quae rationabilibus ex causis etiam a Sede Apostolicâ concessa sunt, ipsa subinde, rerum experientia suadente et maioribus ex causis, quibus praesertim felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri gubernio consulitur, revocat, in hisque suae sollicitudinis studium interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae huius
Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii capitulum generale Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, alias diversi dictae Congregationis clerici a Sede Apostolicâ, et a nonnullis qui pro tempore fuerunt S. R. E. cardinalibus eiusdem Congregationis apud nos et eandem Sedem protectores, frequentius vero a nunciis apostolicis, varia privilegia, concessionem et indulta, dispensationes a regulis, necnon exemptiones a constitutionibus et aliis dictae Congregationis ordinationibus etiam apostolicâ auctoritate confirmatis, minime conformia, imo contraria, obtulerint (nempe ut redditus administrare, eleemosynas certis usibus applicare, suffragium sive votum perpetuum in capitulis habere, ab aliqua domo non removeri, socium certum habere, et alia hisce similia facere possint), experientia vero compertum sit praemissa omnia observantiae regulari non leviter officere: nobis propterea iidem dilecti filii capitulum generale communi omnium illius vocabulum nomine humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ digneremur.

Annulat privilegia prout in rubrica.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a

1 Praep. a videretur delenda (R. T.).

2 Verba ut in praemissis opportune nos addimus ex edit. Cherub. (R. T.).

quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefata omnia privilegia, concessionem et indulta, ac dispensationes et exemptiones huiusmodi, et quaevis alia hic non expressa, alias, ut praefertur, ab ipsius Congregationis clericis obtenta quomodolibet, quae quoquo modo eiusdem constitutionibus et ordinationibus adversantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu vacuumus.

§ 3. Et insuper, ne de cetero perpetuis futuris temporibus similia privilegia, concessionem et indulta, aliaque supra expressa, cuiquam ullatenus concedantur, nec a quoquam absque capituli generalis dictae Congregationis licentiâ impetrentur, statuimus et ordinamus: et nihilominus omnia et singula, alias quam ut praefertur concessa et quomodolibet impetrata, nulla et subreptitia fore et censi, nec cuiquam ullatenus suffragari;

§ 4. Ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congre-

Decretum irritans.

Contrarius derogat.

DCLI.

Declarat, quod in monasteriis S. Basilii del Tardon et S. Antonii de Gualliguillos choristae et sacerdotes quartam, laici vero alias tres partes constituent.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

In his pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, per quae personarum regularium, quae, spretis mundi vanitatibus, totas se Deo devoverunt, statui et quieti opportune consuli iudicamus.

Exordium.

§ 1. Alias siquidem felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, certior factus, quod, ex duorum eremorum, videlicet eremi del Tardon Cordubensis, et vallis de Gualliguillos Hispaliensis dioecesis, in monasteria Ordinis sancti Basilii Magni per pia memoriae Gregorii Papam XIII etiam praedecessorem nostrum erectorum, cum alio monasterio S. Mariae de Oviedo Ginnensis, a similis recolendae memoriae Pio Papa IV etiam praedecessore nostro prius erecto, in unam provinciam S. Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis monasteriis in Hispaniarum regnis imposterum construendis, unione a praedicto Gregorio praedecessore facta, multae contentiones inter dictae provinciae monachos super modo vivendi exortae fuerant; ut contentionibus huiusmodi finem imponeret, dicta duo monasteria S. Basilii eremi del Tardon ac etiam S. Antonii de Gualliguillos in monasteria reformationis et verae eiusdem sancti Basilii regulae observantiae deputavit, constituit et separavit, ad quae se recipere omnes, quotquot in dicta provinciam monachi zelo Dei et Spiritu Sancto ducti tanti patriarchae praecepta et instituta desiderarent observare, quae iuxta

gationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ipsius Congregationis superioribus et personis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibuscumque derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

§ 6. Quibus omnibus et singulis, etiam illorum pro sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communitate vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultis huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dictae Congregationis seu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus in iudicio et extra adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxii iunii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 22 iunii 1639, pontif. anno xvi.

1 Vocem praesentibus nos addimus (R. T.).

1 Vide supra pag. 116 huius tomi (R. T.).

2 Edit. Main. legit eremitorum (R. T.).

nonnullas constitutiones pro dicta reformatione a se tunc editas iussit in omnibus et per omnia praticari, et alias, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris in simili forma Brevis hac super re emanatis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur¹.

Praefinit numerum choristarum.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet idem Clemens praedecessor maiorem et principalem partem monachorum huiusmodi ex laicis esse voluerit, et sufficientes choristas et sacerdotes ad chori et divinatorum officiorum ministeria haberi permiserit; quia tamen certum eorumdem choristarum et sacerdotum numerum non praefinivit, nonnullae inter laicos ex una et choristas ac sacerdotes huiusmodi ex altera partibus eapropter controversiae exortae fuerint:

§ 3. Nos, ut, semotis quibusvis perturbationibus et dissensionibus, monachi praedicti iuxta laudabile eorum institutum et ad praescriptum litterarum eiusdem Clementis praedecessoris in pacis amoenitate et tranquillitate vivant et felicioribus in dies in via Domini proficiant incrementis, quantum cum Domino possumus providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in praedictis S. Basili del Tardon et S. Antonii de Gualliguillos monasteriis inter choristas et sacerdotes non possint esse nisi unus ex quibuslibet quatuor, ita ut quarta pars monachorum cuiuslibet ex dictis duobus monasteriis sit ex choristis et sacerdotibus, et reliquae tres partes sint laici; ac, donec choristae et sacerdotes qui ad praesens sunt in eisdem monasteriis ad numerum praedictum reducti fuerint, alii in choristas et sacer-

dotes huiusmodi recipi non possint, sub poenam nullitatis receptionis huiusmodi et inde sequendorum quorumcumque, tenore praesentium statuimus et ordinamus; nihilominus, praedictas Clementis praedecessoris litteras innovantes, illas prout disponunt, etiam quoad capitulum VII prohibens studium philosophiae et theologiae et alia in eo expressa, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis omnino observari praecipimus et mandamus.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 3. Non obstantibus, in his quae praesentibus adversantur, praedictis Clementis praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini¹ ac monasteriis, illorumque superioribus, monachis et personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis spe-

Decretum irritans.

Contrarius derogat.

¹ Quas vide in tom. XI, pag. 39 (R. T.).

¹ Male edit. Main. legit *Ordinis* (R. T.).

cialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 10 iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLII.

Indulgentia plenaria perpetua pro confratribus et consororibus confraternitatis sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis loci de Chaul Goënsis dioecesis in Indiis Orientalibus¹.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia sanctae Barbarae domus fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia loci de Chaul Goënsis dioecesis in Indiis Orientalibus una pia et devota utriusque sexus christifidelium confraternitas sub invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta seu erigenda existat, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt:

Indulgentia plenaria in ingressu.

§ 1. Nos, ut confraternitas praedicta maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius au-

¹ De modo aggregandi confraternitates lege Const. CCLXII (al. 350) Clementis VIII, *Quaecumque*, tom. XI, pag. 138.

cloritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui dictam confraternitatem imposterum ingredientur, postquam erit canonice instituta, die prima eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; necnon tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consoribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam;

In articulo mortis.

§ 2. Ac eisdem nunc et pro tempore existentibus et confratribus et consoribus, vere quoque poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die festo principali ipsius confraternitatis a primis vespers usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

In festo principali.

§ 3. Insuper eisdem vere etiam poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus et orantibus, quo die praedictorum id egierint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero missis ac aliis divinis officiis in dictis ecclesia vel cappella seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, aut congregationibus publicis vel privatis ipsius confraternitatis ubivis

Item septem annorum et totidem quadragenarum.

Sexaginta dierum in praenarratis operibus piis.

faciendis, interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum et consororum huiusmodi, quam aliorum, ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentiâ Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut aliâs ubicumque et quomodocumque pro tempore deferretur, comitati fuerint, aut, si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum praedictorum recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis redixerint, et ignorantes praecepta Dei et ea quae ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque pietatis vel charitatis opus exeruerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliâs quomodolibet debitis, poenitentibus in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

§ 4. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si aliâs dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsam duraturam concesserimus, praesentes nullae sint, quodque si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata iam sit, vel imposterum aggregetur, vel quavis aliâ ratione uniat, seu etiam quomodolibet instituat, priores et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maior-

1 Videretur potius legendum illi (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 20 iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLIII.

Abrogatio omnium privilegiorum personalium fratribus Ordinis Minorum concessorum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Inter ceteras apostolicae servitutis curas, quibus circa universalis Ecclesiae regimen humilitati nostrae a Domino commissum assidue premimur, ea nos non parum sollicitos habet, ut personae regulares divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatae, iuxta regularia earum instituta salubriter regantur, et propterea, si qua felici earum statui obesse, aut in aliquod observantiae regularis earum et disciplinae detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum nobis ex alto conceditur, removemus et prohibemus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Ordine fratrum Minorum sancti Francisci introductus fuerit abusus, ut passim a superioribus patres privilegiati efficiantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperitur, et gravissimum paupertati et humilitati, quas dictus Ordo profitetur, nocuum infertur, et propterea unanimi vocalium in generali dicti Ordinis capitulo nuper celebrato congregatorum voto abusum huiusmodi auctoritate nostrâ tolli desideratum fuerit:

§ 2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, et omnem illius relaxationi viam praeccludi summopere cupimus, de opportuno in praemissis remedio, quan-

1 Edit. Main. legit quae (T. A.).

tum eum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis fratribus, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis existant (charissimorum in Christo filiorum nostrorum regis Romanorum in imperatorem electi ac aliorum regum praedicatoribus et confessariis dumtaxat exceptis), quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione, et ad cuiusvis instantiam et supplicationem, tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam etiam a dilecto filio nostro Francisco sancti Laurentii in Damaso diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore, aliisque eiusdem Ordinis protectoribus, ac quibuslibet Ordinis huiusmodi superioribus hactenus quoquo modo contra et praeter regularia Ordinis praedicti instituta et apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus; illaque perpetuo revocata, annullata, cassata, abrogata et abolita, iuribusque et effectu vacua esse et fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse,

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ excommunicationis, privationisque suorum officiorum, vocisque activae et passivae poenis

1 Forsan legendum viribusque (R. T.).

eo ipso incurrendis, dilectis filiis ministro ac vicario seu commissario generalibus, et ministris provincialibus, aliisque dicti Ordinis superioribus, ut, quamprimum praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes et singulos patres et fratres Ordinis huiusmodi, similia privilegia habentes, illis eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant vel permittant, inobedientes quomodolibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis, iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessionem seu confirmationem concessionis privilegiorum huiusmodi emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haben-

1 Forsan legendum quum primum (R. T.).

Contrariis derogat.

Et ita, et non aliter iudicari decrevit.

Exequutores deputat et contrafactentibus poenas imponit.

Exordium.

Causae huius Constitutionis.

Revocat privilegia huiusmodi fratribus concessa.

tes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi mandat.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiiiⁱ iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 23 (16) iulii 1639, pontif. anno xvi.

DCLIV.

Restitutio patrum provinciae, et revocatio seu moderatio Motus proprii Gregorii XV pro tota familia ultramontanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Onerosa pastoralis officii cura, nobis ex alto, meritis licet imparibus, commissa, crebro nos admonet ac inducit, ut, ad statum christifidelium quorumlibet, praesertim regularem vitam profitentium, salubriter dirigendum operosis studiis intendentes, ea, quae pro felici eorum gubernio prosperaque directione provide statuta et ordinata esse comperimus, apostolica confirmationis robore communiemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius
Constitutionis.

§ 1. Nuper siquidem ad aures nostras pervenit, quod, deficientibus in definitoriis omnium provinciarum ultramontanae familiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, qui ministro generali eiusdem Ordinis subiiciuntur, iis qui provinciae patres nuncupantur et inibi praestantiores iudices electoresque habentur, magna

1 Edit. Cherub. ponit dat. 16 iulii (n. r.).

totus Ordo praedictus sustinet incommoda, et subditorum regimen et officiorum provisio difficiliora in dies efficiuntur: ideoque communi vocalium in generali dicti Ordinis capitulo nuperrime celebrato congregatorum assensu decretum fuit nobis supplicandum esse, ut omnes patres provinciarum, quos felicitis recordationis Gregorius XV praedecessor noster per suas in simili forma Brevis litteras abstulit et abolevit, nos de benignitate apostolicam restituere dignemur. Verumtamen, re in definitorio generali eiusdem Ordinis maturius deliberata, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Barberini nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, ac Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, statutum fuit, ut duo tantum patres provinciae in praedicto singularum provinciarum ultramontanae familiae huiusmodi definitorio introducantur, unus scilicet, qui in provincia reliquis dignior sit, ille nimirum qui inter patres provinciae primum locum sibi vendicat, qui quidem semper in definitorio assistat, alter vero, qui immediate ministri provincialis officium absolverit, ut sequenti etiam¹ immediate triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem et in definitorio assistat; ea lege tamen, ut, si iste ex qualibet causa deficiat, in eius locum subrogatus eo ipso sit qui ante ipsum minister provincialis immediate extiterit, triennio autem huiusmodi transacto, alius, qui ministri provincialis officio etiam immediate functus fuerit, subsequatur, et sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servetur, ita quod numquam hi duo patres in dictarum pro-

1 Haec verba immediate ministri provincialis officium absolverit, ut sequenti etiam, oscitanter omissa in edit. Mainardiana, nos addimus ex edit. Cherub. (n. r.).

vinciarum definitoriis desiderentur; quod si contingat, ut, qui erit dignior et perpetuus in definitorio huiusmodi vigore praesentium litterarum assistens, alio titulo de eodem definitorio existat, sibi ius in illud ingrediendi competat, tunc in eius locum ipso facto subrogatus sit ille pater provinciae, qui eidem dignitate proximus fuerit.

Instituit duos
pro definitoriis
in provinciis ul-
tramontanis.

§ 2. Quare nos, attendentes ea ratione et multitudinem patrum provinciae auferri, ac de iis, qui pro felici provinciarum huiusmodi directione et gubernio necessarii sunt, sufficienter provideri, ac praedictarum Gregorii praedecessoris huiusmodi litterarum tenores et datas praesentibus pro expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certa scientia matureque deliberatione nostris, institutionem seu restitutionem praedictorum duorum patrum provinciae pro definitoriis provinciarum praedictarum, in dicto definitorio generali ut praefertur factam, apostolicam auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praemissa ob-
servari mandat.

§ 3. Decernentes illa et praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari,

Aliter iudicari
non posse de-
cerni.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores
deputat, et poe-
nas contrafa-
cientibus addit.

§ 5. Quocirca dilectis filiis ministro et vicario seu commissario generalibus dicti

1 Male tum edit. Main. tum edit. Cherub. habent tenoribus et datis (n. r.).

Ordinis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque a sibi subditis omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet, sub excommunicationis privationisque suorum officiorum et vocis activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, debitae executioni demandari ac inviolabiliter observari curent et faciant.

Derogat con-
trariis.

§ 6. Non obstantibus, quoad praemissadumtaxat, praefati Gregorii praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, illorumque superioribus, fratribus et personis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum, etiam motu, scientia et deliberatione singulis, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi iubet.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica consti-

tutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxiii iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 23 iulii 1639, pontif. anno XVI.

DCLV.

Declaratio, quod quaecumque pactiones particularium personarum super montibus vel locis montium quorumcumque, factae absque Sanctae Sedis vel protectorum aut officialium ad id et ad conficiendum litteras patentes deputatorum licentiâ, non attendantur, nec afficiant montes et loca huiusmodi.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet nos ex pastoralis officii nostri debito providere, ne privatorum pactionibus utilitati publicae quoquomodo officiat.

Causae hinc Constitutionis.

§ 1. Quapropter, cum, ut accepimus, in camerâ apostolicâ et forsitan aliis Urbis nostrae tribunalibus fuerit praetensum ac inter partes diversas controversum super articulo an pacta et obligationes particularium personarum afficiant loca montium, sive vacabilia, sive non vacabilia:

Declarat non esse attendendas obligationes privatorum super locis montium.

§ 2. Nos, ad tollendam omnem praetensam ambiguitatem, et litium, quantum cum Domino possumus, occasionem, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque attributae nobis potestatis plenitudine, quaslibet dispositiones et pactiones inter particulares personas, tam quoad hypothecas et obligationes, quam quaecumque alia onera seu vincula realia, vel in rem scripta, aut rei persecutoria, super montibus vel eorum locis cuiuscumque generis tam vacabilibus quam non vacabilibus, sive sint camerales sive communitatum vel baronum aut alio-

rum quorumcumque etiam ducum et principum, factas absque nostrâ vel protectorum aut officialium ad id et ad conficiendum litteras patentes deputatorum licentiâ in eisdem litteris patentibus exprimendâ, non esse attendendas, ac dispositiones, pactiones et obligationes privatorum huiusmodi afficere dumtaxat personas, ac quoad ipsas sustineri ad effectum, ut, quando promissa et conventa servare nollent vel non possent, ad damna et interesse teneantur, non autem ut ius vel onus aliquod reale adiectum seu impositum ipsis locis montium censeatur, neque illis vinculis, obligationibus, pactionibus et oneribus ullatenus loca montium praedicta sint obnoxia (ad instar Romanae curiae officiorum, in quibus similium pactionum nulla ratio habetur, sed solum nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis decreti) tenore praesentium declaramus, et ita imposterum, etiam quoad praeterita non decisa per rem iudicatam, servari, interpretari et definiri debere volumus et mandamus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis minime consenserint, et ad ea vocati, citati vel auditi, ac causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae vel iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi vel limitari, et adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concessio, quempiam uti, vel se iuvare in iudicio vel extra non posse, sed semper validas, firmas et

1 Particulam non (vel nullatenus) certo attendendam censuimus (n. r.).

efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

Clausula sublata.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generales auditores, ipsiusque camerae praesidentes clericos, ac S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, nunc et pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans super addit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac aliis cancellariae apostolicae regulis, et almae Urbis nostrae ac camerae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem camerae, illiusque officialibus et ministris, ac montistis montium praedictorum, et generaliter quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac aliâ in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium ac quarumcumque litium et eo-

rum statum aliorumque hic exprimendorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxviii iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 28 iulii 1639, pontif. anno XVI.

Anno a Nativitate D. N. Iesu-Christi MDCXXXIX, die vero xiii mensis augusti, supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicae S. Petri de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et aliis locis solitis et consuetis Urbis per nos Fulvium Marzittellum et Carolum Pelosium SS. D. N. Papae cursores.

Pro D. mag. curs.
ANTONIUS BARDUS, deput.

DCLVI.

Contra superiores Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorem, qui, favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates et gratias concedunt; et contra eosdem fratres dictos favores conquiritos, etc. 1.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosi, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus.

§ 1. Quocirca, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae pote-

Prohibito, prout in rubrica.

1 Plures Summi Pontifices regularibus prohibuerunt dignitatum ambitum, ut copiose habes in altatis iam Constitutionibus.

statis plenitudine, dilectis filiis ministro generali, commissario generali, ac provincialibus et reliquis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorem nuncupatorum praelatis, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrendâ, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacumque seculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali, imperiali fulgentium, cuius praedicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia et administrationes, functiones et praelaturas eiusdem Ordinis concedere audeant, quinimo dicti Ordinis fratres religiosos, qui contra decreta hac viâ et his mediis perquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus.

§ 2. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem poenis praecipimus et expresse interdiciamus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere, et similiter nec ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant.

Contrarius derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si eidem Ordini et fratribus praedictis communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excom-

municari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis
credi mandat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxix iulii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 29 iulii 1639, pontif. anno xvi.

DCLVII.

Quod consilium status hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, sede magistrali vacante, possit quidem uti sub ordinariâ auctoritate in providendo rebus dicti hospitalis et insulae Melitanae, non tamen adimere seu diminuere privilegia, redditus et iura magno magistro competentia.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes Paulus Lascaris Castellar, magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, nobis nuper exponi fecit, in concilio status dicti hospitalis, vacante illius sede magistrali haberi solito, maior pars fratrum militum, qui ad dignitatem magni magistri aspirare non possunt, illius auctoritatem et redditus imminuere studeant, quod, prout experientia docuit, nunquam eidem hospitali profuit:

Causas decreti.

§ 2. Nobis propterea dictus Ioannes Paulus magnus magister humiliter suppli-

Et magno magistri Iosantia.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubrica.

§ 3. Nos igitur, eundem Ioannem Paulum magnum magistrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, huiusmodi supplicationibus inclinati, consilium status praedictum, sede magistrali vacante, posse quidem ordinariâ suâ auctoritate in providendo rebus ipsius hospitalis insulaeque Melitanae¹ uti, non autem adimere seu diminuere ullatenus praeeminentias, privilegia, auctoritates, praerogativas, redditus et iura magisterii et magni magistri huiusmodi, sed illa omnia prout sunt et erunt, iuxta statutorum seu stabilimentorum ac ordinationum capitularium eiusdem hospitalis, apostolicâ auctoritate confirmatorum, dispositionem, et possessionem ipsi magno magistro quaesitam, remanere debere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus.

Clauulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore,

1 Ed. Main. legit *Melevitanae* (R. T.).

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque, et non aliter, in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac pro tempore existentes magnum magistrum et consilium aliosque iudices et tribunalia dicti hospitalis, iudicari ac definiti debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis capitularibus, privilegiis quoque, indullis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die ii augusti MDCXXXIX, pontificatus nostri anno xvi.

Dat. die 2 augusti 1639, pontif. anno xvi.